DE THEOCRITI IDYLLIORUM COMPOSITIONE

Reinhold Steig

Quaecunque de origine poëseos bucolicae, quam primus arte excoluit Theocritus, memoriae traduntur[1]), omnia esse ficticia merisque in commentis ducenda, ex ipsis ineptiis, quas grammatici veteres proferunt, satis superque intelligitur. Immo constat inter doctos Theocritea idyllia ad similitudinem cantilenarum popularium esse conformata, quales tum Siculi pastores modulari solebant, ut diei otium cantu fallerent. Neque tamen carminum pastoralium ullum ad nostram aetatem pervenit, quod gravissime dolendum est. Etenim dubium esse nequit, quin in plurimis quaestionibus apud bucolicos poetas, imprimis apud Theocritum, obviis multo confidentius rectiusque iudicaremus. Tamen nonnulla de agresti cantu de eaque ratione ponere licet, qua Theocritus in imitando usus est. Atque sententiam meam eo magis hic proferam, quod qui eandem rem tractavere Arm. Fritzschius[2]) et Gust. Ad. Gebauerus[3]) hic illic de via aberrasse videntur atque utilitatis non nihil in eam quam instituturi sumus de Theocriti idylliorum compositione dissertationem redundet.

Siculorum pastorum cantus, quoniam procul a docta Graecorum poësi in agris nemoribusque florebat, rusticis haud dubie legibus obnoxius fuit, quarum asperitatem vitare aut lenire debuit poeta, si quidem placere voluit. Ac primum quidem dialectum videmus a Theocrito mutatam. Quae qualis fuerit, si non perspiçere, at tamen persentire licet ex id. XI, ubi Cyclops inhumanus sermone utitur formis horride et rustice sonantibus mixto. In ceteris idylliis similia Theocritus reformidans proprium dicendi genus eiusque colorem eo reddere studuit, quod mollem quandam ac paulo insolentiorem dialectum Doridem invenit, qua usus carmina sua conscriberet. Etenim

[1]) v. Meinek. ed. III. pagg. 1. 2.
[2]) de poet. Graec. bucol. Giss. 1844. 4.
[3]) de poet. Graec. bucol. . . . carm. Lips. 1861 (?).

illud certum videtur neque pastores Siculos ita locutos esse, uti poeta eos loquentes facit, neque usquam eam dialectum apud Graecos in usu fuisse.

Deinde hexameter dactylicus, cuius numeris Theocriti idyllia inclusa sunt, nihil cum pastoriciis cantilenis habere potest commune, sed ex docto literarum studio assumptus est. Inde consequi videtur, ut agrestium versus et ita fuerit comparatus, ut prorsus non placere posset doctis auribus, et summam habuerit similitudinem cum levibus alacribusque versus heroici numeris. Cognatos fuisse duos versus etiam aliunde discitur. Saepissime apud Theocritum ea est in hexametro condicio, ut verborum ordo caesura, quae ob crebrum in bucolicis usum bucolica dicitur, in duas partes dirimatur; quarum utraque non numquam ab eodem vocabulo iterato ducit principium. Unde pro certo colligas ordinis metrici bipartitionem propriam fuisse poëseos pastoriciae aeque ac verborum in utriusque membri fronte repetitionem. Confirmatur etiam suspicio duobus versibus, quos vetus commentator ut a Syracusanis agricolis cantatos affert:

δέξαι τὰν ἀγαθὰν τύχαν, δέξαι τὰν ὑγίειαν,
ἃν φέρομεν παρὰ τᾶς θεοῦ, ἃν ἐκαλέσσατο τήνα,

quibus utitur Gebauerus ita, ut comprobet non modo dactylicos sed etiam Priapeios rhythmos apud pastores Siculos in usu fuisse. Quae quidem opinio stare nequit. Nam Priapeius verus perinde atque dactylicus doctam, non popularem poesin sapit. Immo versiculi supra adscripti, quibus plurimum similitudinis cum talibus Theocriti versibus intercedit quales sunt id. IX, vv. 7. 8

ἁδὺ μὲν ἁ μόσχος γαρύεται, ἁδύ δὲ χά βῶς,
ἁδὺ δὲ χά σῦριγξ χὠ βουκόλος, ἁδὺ δε κἠγών,

aut id. V, 104

ἔστι δέ μοι γαυλὸς κυπαρίσσινος, ἔστι δὲ κρατήρ,

non sunt nisi conamen cuiusdam haud infelix, qui id egit, ut eundem, quem Theocritus ante oculos habebat, versum rusticum in expolitiorem formam redigeret. Quae porro idem Gebauerus de anapaesticis metris statuit „ex duabus versuum partibus, quas iam alii ex cantilenis popularibus sumptas esse putaverunt id. IV, 32

καλὰ πόλις οὐχὶ Ζάκυνθος;[1])

et id. I, 106 (V, 45)

τηνεῖ (τουτεῖ) δρύες, ὧδε κύπειρος,“

---

[1]) Sic Gebauerus pro tradita lectione *ἅ τε*.

valde equidem improbo. Nam hoc posterius hemistichium minime ab insequente versu

ὧδε καλὸν βομβεῦντι περὶ σμάνεσσι μέλισσαι

disiungendum est coniungente duplici adverbio *ὧδε*. Hoc si verum est, quo quaeso iure verba *τηνεῖ . . . κύπειρος* per se sola anapaestico alicui carmini assignemus? Quod autem ad id. IV, 32 attinet, actum est de Gebaueri opinione, modo acriter traditam scripturam interpreteris. Sic incipit Corydon: „laudo (scl. fistula mea) Crotonem“ et pergit

. . . . καλὰ πόλις ἅ τε Ζάκυνθος

καὶ τὸ ποταῷον τὸ Λακίνιον . . . .

i. e. pulchra urbs (ideoque quae fistula mea laudetur digna) est et Zacynthus et spectans illud ad orientem Lacinium. Falsissimi igitur sunt, qui verba *καλὰ . . . . Ζάκυνθος* pro initio carminis anapaestici habent. Neque aliter censeo de ceteris quae Gebauerus invenisse sibi est visus eiusdem metri vestigiis id. XI, 22. 23. II, 21. II, 61. Hoc autem pro certo tenendum est unum tantum modo versum apud Siculos pastores in usu fuisse maxime cognatum ei qui caesura bucolica in duas partes dividitur hexametro dactylico.

Multo vero subtilior difficiliorque exsistit quaestio ea, qua ratione carmina pastoricia fuerint composita, qua ratione Theocritea. Excipio hic carmina amoebaea ex intima popularium consuetudine profecta, in quibus quae regnet compositionis lex assiduis doctorum studiis patet. Duo enim pastores ea lege praescripta inter se alternant, ut qui respondet totidem versibus utatur quot qui priores partes agit. Hanc responsionis legem, quam cum ipso cantu amoebaeo natam esse puta, multi et docti homines sine ulla rei probabilitate in cetera idyllia transtulerunt quamvis diversa a carminibus amoebaeis. Itaque quaeramus, quid de compositione horum statuendum sit.

Omnia carmina, quae in ore Siculorum pastorum circumferebantur, esse cantata per se in apertissimo est; testatur praeterea idem de duobus illis versibus *δέξαι κτλ* atque aliis vetus grammaticus his verbis usus: *ᾄδειν δὲ καὶ ἄλλα τινὰ κτλ.* Erant igitur ea ad similitudinem artis musicae conformata. Quae quidem, si simplices pastorum mores condicionemque respexeris, quin ipsa quoque simplex vel exigua fuerit non dubitabis. Inde consequens est, ut musicas eorum compositiones non amplioris fuisse ambitus putemus ideoque saepius deinceps esse repetitas. His adaptatum esse finge textum: habes carmen strophica ratione compositum. Ordo autem stropharum variis

modis efferri potuit. Potuit enim fieri, ut una stropha per totum carmen repeteretur hanc in formam a. a. a...... potuit autem fieri, ut una stropharum series a novo diversarum stropharum ordine exciperetur a. a . . b. b. . . . Utriusque generis exempla exstant apud Theocritum integra. Sic in idyllio VIII. quae a Menalca et Daphnide canuntur odaria (vv. 63–70 et 72—80) atque quae in idyllio X. sunt Batti et Milonis (vv. 24—37 et 42—55) ex meris distichis constant. Alterius generis specimina habes id. II, vv. 17–35 et quod in id. III. a caprario canitur carmen. Huc autem pertinere Thrysidis oden (id. I.) mihi quidem persuasissimum est; v. infra pagg. 7 seqq. Alius strophicae compositionis vestigia nusquam inveniuntur, ac cavendum est, ne ex opinione praevia, quae aliena sunt, in poetae carmina inferamus.

Praeter strophicam compositionem cur stichicam[1]) a carminibus pastoriciis abiudicemus, nullam video causam probabilem. Immo talia carmina apud omnes omnium temporum populos reperiuntur; quidni igitur ea apud Siculos exspectemus, quidni apud Theocritum imitatorem? Atque ut mea quidem fert sententia, omnibus Theocriti idylliis, si exceperis quae modo strophica enumeravi, una stichica ratio adiudicanda est. Tamen plurimi sibi persuaserunt poëtam omnia sua idyllia secundum stropharum normam composuisse, divisionem autem strophicam a librariis pessime turbatam esse. Inde fluxerunt varia illa schemata, quae viri docti certatim proposuerunt. Perversum quidem hoc mihi videtur esse, quamquam non difficile est ad intelligendum, quid in causa fuerit, cur illi in hunc errorem inciderent. Nemo opinor infitiabitur in illis idylliis, quae stichice meo quidem iudicio composita sunt, orationem plerumque per complexiones quasdam versuum rotundam sententiam praebentes procedere. Atque has pro vestigiis habuerunt illi viri docti proportionis strophicae, quam versibus addendis, demendis, transmutandis restituere studuerunt. Ac dici vix potest, quantum detrimenti hac ratione Theocriteis allatum sit. Res vero ex intima cantilenarum agrestium natura explicanda est. Ut erat simplex pastorum ingenium, non magnificae compositionis formae oriri potuerunt, sed per minutas pericopas oratio progrediebatur. Quam virtutem optime perspexit Theocritus et sua in carmina imitando transtulit. Ac sic bona pars dulcissimae simplicitatis,

---

[1]) Paulo latiore sensu velim accipias hoc adiectivum.

quam merito in bucolicis admiramur, servata est. Ceterum prorsus nihil refert, quot versus singulae complectantur pericopae aut quo ordine sese excipiant: nullum poetae consilium in ipsis numeris cognoscitur. Est potius in eo positum, ut per versuum complexiones simplex et perspicuus evadat orationis progressus.

Haec pauca disputatiunculae meae praemittere volui, ut quid ego de summa quaestionis sentirem in universum patefieret. Sed a prolusione ad rem venimus, ut qua ratione singula constituenda sint ostendamus. Atque e strophicis idylliis duo elegi de quibus agerem: id. I. et III.

Id. I.

In eo qua arte compositum sit carmen Thyrsidis, magna est inter viros doctos quaestio, ex quo Mauritius Hauptius[1]) de eo disputavit. Nam in eo omnes fere consentiunt, quod putant stropharum rationem qualis prostat in libris non esse sanam. Contrariam in sententiam abiit Theodorus Bergkius[2]): „die versuche, welche man gemacht hat, um bei Theocrit id I. in dem liede des Daphnis gleichmäszige strophen herzustellen, sind verfehlt. Die Kunst des dichters ist einfach, aber frei von jenem mechanischen verfahren, von welchem unsere kritiker ausgehen. Symmetrie ist das grundgesetz aller hellenischen kunst, aber es gibt höhere rücksichten, die nicht selten den dichter bestimmen, das gleichgewicht der einzelnen teile nur annähernd herzustellen und auf vollständige responsion zu verzichten.“ Neque vero calculum meum adicere possum. Nam in librorum memoria nulla nec artis lex nec poëtae manus cognoscitur, quamquam Rudolfus Peiperus[3]) integritatem defendere conatus est. Neque apparet, quid in causa fuerit, cur Theocritus aptam in singulis proportionem negligeret. Porro versus intercalaris postulare et flagitare videtur, ut aequabilitatem stropharum a poeta esse institutam existimemus. Quod cum per se ex ipsa natura versus intercalaris consequitur, tum carmine quod est in altero idyllio magico satis demonstratur, quod eam offert in strophis rationem, ut a v. 17 octies quaterni versus a duodecies quinis excipiantur. Itaque vitupero Eberzium[4]), qui in medio relinquit, utrum carmen ita, ut in codicibus traditur, a Theocrito sit con-

[1]) Mus. Rhen. a. 1846, pag. 260 sqq.
[2]) Philol. XIV a. 1859, pag. 182.
[3]) Jahnii annal. LXXXIX a. 1864, p. 449 sqq.
[4]) translat. carm. Theocr. Francof. ad M. 1858, praef. pag. 20.

fectum an non. Facio igitur cum iis, qui rectam stropharum rationem in Thyrsidis ode librariorum culpa turbatam esse ideoque a nobis restituendam putant.

Qui inde ab Hauptio in indaganda divisione strophica operam studiumque collocabant, in eo conveniunt plerique[1]) procul dubio gravissima illius auctoritate ducti, quod eam per carmen legem regnare volunt, ut binae strophae et forma et sententia compares sibi respondeant. Quae quidem lex quam falso in Theocriti idyllia illata sit, supra pag. 5 indicavi atque hic paulo diligentius explicabo. Similitudo aut quodam modo aequalitas sermonis efficitur ibi, ubi duae personae alternis inter se verbis certant; et cum in vera poesi forma a sententia suspensa sit, ultro oritur aequalis compositionis forma. Itaque rectissime habetur responsionis lex in carminibus amoebaeis, minime autem in iis cantilenis quae a singulis personis canuntur, quoniam in his oratio simpliciter procedit neque ulla causa est, cur binae sententiae similiter conformatae sibi succedant. Etsi nullus nego in primo idyllio hic illic aequalem stropharum structuram vel responsionem occurrere, veluti in vv. 71.2—74.5, quod observatur etiam in pedestri oratione, ubi quaedam similia exprimenda sunt. Sed per totum Thyrsidis cantum illa ratio perfici nequit nisi gravissimis adhibitis mutationibus. Ac ne sic quidem omnia quae adversantur e medio removeri statim intelliges, si schemata a doctis proposita percensueris. Nam praeterquam quod in eis quae illi ponunt stropharum paribus excepto versuum numero fere nihil invenitur similitudinis, restant non nullae strophae, quibus qui respondeant totidem versus plane desunt. Quodsi quis ex difficultatibus ita se expedire conatur, ut illas pro proodo aut mesodo aut epodo positas esse dicat, perversissime agit. Etenim omne quod Thyrsis cantat carmen, imprimis versus intercalaris, popularem poësin refert, contra quod pugnat, qui haec ad exemplum scenicorum poëtarum exigat. Vides igitur, quam multae et graves causae admoneant, ne Hauptium sequamur.

Cum laude qui memoretur dignus est Otto Kreusslerus[2]), quia primus ab Hauptio defecit, quamquam

---

[1]) Hauptii vestigia persecuti sunt G. Hermannus, de a. p. buc Lips. 1849, Aug. Meinekius, edit. III. Berol. 1856, Henr. Lud. Ahrensius, edit. Lips. 1855, Arm. Koechlyus, carm. Theocr. in str. s. restit. spec. Turici 1858, G. A. Gebauerus l. l., Lud. Schwabius in ADD. III. edit. Ziegl.

[2]) Observatt. in Theocr. carm. I, Misniae 1863.

unum auctoritati eius concessit, cf. pag. 21. Qui id egit, ut quantum potuit pares longitudine strophas conficeret.

Kreusslerum vehementer auctorem paucis mutatis secutum se esse Fritzschius[1]) ipse dicit. Versatur autem in re ita, ut ex meris tetrastichis carmen compositum esse ostendat. Ac concedendum est rationem quam vir doctus iniit per se minime recedere a cantu pastoricio, cf. pag. 6, sed in singula mihi inquirenti gravissimae difficultates obortae sunt, quibus adductus sum, ut adversarii partes contra Fritzschium susciperem.

Ego ex assiduo rei studio mihi persuasi eam compositionis formam esse profectam a manu Theocriti, ut usque ad v. 121 per disticha progrediatur oratio sequentibus sub finem carminis tetrastichis, cf. pag. 6.

His praemissis transeamus nunc ad ipsum carmen tractandum.

In fronte cantilenae legitur versus intercalaris (64)

ἄρχετε βουκολικᾶς Μοῖσαι φίλαι ἄρχετ' ἀοιδᾶς,

ad quem in codice Ambrosiano k hanc habemus scholiastae annotationem *ἄρχετε: τοῦτο λέγεται ἐπῳδὴ καὶ πρόασμα καὶ ἐπιμελῴδημα.* Prorsus reicienda esse videtur Gebaueri sententia, qui l. l. pag. 103 contra Ahrensium pugnans scholion non ad v. 64 sed ad v. 65 referri iubet. Sed ne Ahrensio quidem assentior suspicanti[2]) *πρόασμα* ad solum v. 64 pertinere, qui quoniam *ἐπιμελῴδημα* vel *ἐπῳδός* dici nequeat, esse aliqua in scholio non sana. Ego scholii integritatem defendo, nisi quod *πρόασμα* ante *ἐπῳδή* ponatur malim. Scholiastes enim me iudice non unius versus 64 significationem explicaturus est, sed universe de versu intercalari disputat; haec quod ad primum qui occurrit v. i. adnectuntur non est cur mireris. Ac per se quisque eorum versuum, si fortasse primum (64) et extremum (142) exceperis, et *πρόασμα* et *ἐπιμελῴδημα* vel *ἐπῳδή* dici potuit; nam in ipso binarum stropharum confinio positus non solum prioris tenorem determinat, sed incipit etiam insequentem stropham. Circumcluduntur igitur versibus intercalaribus singulae versuum complexiones[3]).

---

1) ed. II. 1870, pag. 12.

2) ad Bionis epitaph. pag. 29.

3) In deterioribus fontibus cum scholio continuantur haec: *τὸ δὲ ἄρχετε καὶ λήγετε ἐπῳδοῦ τάξιν ἔχει.* Verum invenisse Ahrensium, qui „alteram partem scholii ex alia adnotatione accessisse“ statuit egregie evincitur eo, quod verba in cod. k. desunt.

Post versum intercalarem quinque deinceps versus leguntur, quos pro una stropha exhibuerunt Meinekius Zieglerus Ahrensius. Sed maxime adversatur, quod v. 65, quippe qui nihil cum carmine habeat commune, nullo pacto cum ipsius carminis versibus in unam stropham coniungere licet. Hoc bene senserunt alii; quam ob rem duos primos versus a cantu disiunctos in textu praebuerunt. Sed huic quoque opinioni gravia obstant. Nam v. *ἄρχετε κτλ* procul dubio est cantilenae, per quam totam repetatur, ideoque discerni nequit. Quibus ex difficultatibus praeclare se expedivit Godofr. Hermannus invertens ille quidem traditum versuum (64. 65) ordinem, ut Thyrsis, antequam carmen suum caneret, haec fuerit praefatus

Θύρσις ὅδ' ὡξ Αἴτνας καὶ Θύρσιδος ἅδ' ἁ φωνά.

Haec coniectura tam certa mihi esse videtur, ut mirer, quod praeter Gebauerum nemo Hermannum secutus est. Thyrsis quidem a caprario v. 62 verbis *πόταγ' ὠγαθέ* ad canendum admonitus morem ei gerere se velle v. 65 indicat simulque nomen suum profitetur, quem ad modum poeta cantores introducere solet, veluti id. VI, 5

πρᾶτος δ' ἄρξατο Δάφνις . . . .

vel id. VI, 20

τῷ δ' ἔπι Δαμοίτας ἀνεβάλλετο καλὸν ἀείδειν

vel id. IX, 14

οὕτως Δάφνις ἄεισεν ἐμίν, οὕτως δὲ Μενάλκας.

His exemplis quamquam id discriminis intercedit cum nostro loco, quod in illis poeta qui sint pastores indicat, in primo idyllio Thyrsis ipse hoc fungitur munere, nihil facit ad rem.

Probata igitur Hermanni transpositione restant quattuor versus. Quos quidem non pro uno tetrasticho accipiendos esse, quod plurimi volunt, sed ex duobus distichis constare ipsa orationis conformatio planissime docet. Nam cum duo primi versus per interrogationis formam ad summam vim gravitatemque ascendant, descendunt duo alteri ad paulo tranquilliorem narrandi formam. Priores copulat duplex anaphorae usus *πᾷ — πᾷ*, alteros repetitae negationes *οὐ — οὐδ' — οὐδ'*. His de causis nullus dubito versus ita dispescere, ut duae evadant strophae versu intercalari olim discretae. Cuius defectum perfacile est explicare. Verba enim scholiastae (ad v. 84) *αἱ παραγραφαὶ συστέλλουσι τὰς ᾠδάς*, ut recte vidit Kreusslerus, id volunt indicare veteres commentatores signis quibusdam singulos versus *αρχετε κτλ* repetitos

notasse. Haec quam facile a librariis, qui nihil de strophica carminis ratione scirent, omitti potuerint, est in aperto. Addo igitur sine ulla dubitatione inter vv. 67 et 68 v. intercalarem, praesertim cum necessario is hoc loco requiratur.

Longe aliter principium carminis constituit Lud. Schwabius. Interisse suspicatus versum post v. 65, proodi loco tres versus a cantu ipso segregat, qui initium ducat a v. 66. Quae autem causa fuerit, cur vir doctus illa ratione uteretur, patet. Voluit enim tres habere versus, quibus responderent vv. 92. 3. 4 pro mesodo et vv. 143. 4. 5 pro epodo positi. Sed in eo versu quid fuerit, ego invenire nequeo nec Schwabius significavit, id quod certe est eius qui lacunam indicat. Itaque reicio hanc viri docti opinionem.

Sequuntur in libris duo strophae duorum utraque versuum, quarum in priore bestiae Daphnidem luxisse dicuntur, in altera boves, tali arte elaboratae, ut etiamsi v. i. deesset, tamen compositionis concinnitas veram rationem quasi digito monstraret. Eo magis miraberis, quod fuerunt, qui v. i. e textu expellerent. Koechlyus et Schwabius, ut vv. 66—69 et vv. 71. 2. 4. 5 in responsione essent, Kreusslerus et Fritzchius, ne aequalis quem voluerunt tetrastichorum tenor turbaretur.

In continuis offendit, quod quae constat ex vv. 77. 8 stropha ab insequentibus (80. 1) seiungitur, quamquam similis est in iis conformatio, hi ipsi autem versus cum vv. 82. 3 coniunguntur. Non recte hoc loco Kreusslerus ex sua ratione, v. i. 79 deleto, vv. 77. 8 et 80. 1 in unam contraxit legem, non animadvertens ille quidem, quid discriminis inter duas partes interesset: per se Merlurii celeberrimi apud pastores dei adventus describitur, per se hominum et Priapi, qui admodum inferioris est auctoritatis et cultus. Ego vero tueor codicum lectionem, sed finio orationem post *Πρίηπος* (v. 81) addoque versum intercalarem. Neque obstat quod cum proximis oratio per *καί* coniunctionem (in *κἤφα*) continuatur; prorsus consimile aliquid infra observabimus. Sic autem distincte opponuntur adventus et sermo eodem modo quo *ἦνθε* et *κἤφα*.

Deinde haeserunt in versu intercalari 84, quo orationis tenor post *φορεῖται* interrumpitur; quam ob rem plerique eum deleverunt. Falsissima haec ratio, uti censeo. Nam causa non deest, cur Theocritus Priapi cavillationem rapide fluentem ephymnio interposito paululum

retardaverit; quamquam facilius est sentire eam quam expressis verbis exponere. Difficultas autem, si qua est difficultas, bene sublevatur Meinekii coniectura, qui scribi voluit pro tradita lectione, quod unice verum videtur, ζατεῖ σ', nisi quod colon, non punctum post ζατεῖ σ' ponendum esse existimo. Sic omnia apte progrediuntur: puella per omnes silvas vagatur — quaerit te, qui amori difficilis es. Per irrisionem dicta bene se adiungunt his verba in quibus idem Daphnis ludibrio habetur (86)

βούτας μαν ἐλέγευ· νῦν δ'αἰπόλῳ ἀνδρὶ ἔοικας,

ita ut vv. 85. 6 concinnam et rotundam conficiant orationem.

Eodem modo in se ipso confectum se praebet quod sequitur par versuum 87. 8, unde pro certo colligas hos quoque versus per se solos esse accipiendos, quam ob rem versum intercalarem post v. 86 addo.

Extremi duo Priapi versus 90. 1 cum duobus sequentibus 92. 3 coniuncti unius strophae ambitu continentur in libris. Hoc per vim et significatum strophae prorsus non licere nemo est quin videat; nam sententiae quas habes in vv. 90—3 diversissimae sunt. Itaque planum est post v. 91 ephymnium esse omissum, quod si addideris, poetae ars restituta erit. Hac ratione Priapi sermo in quattuor aequales partes dividitur ipsa compositionis forma viam rectam indicante.

Sed priusquam pergamus, quo modo ceteri in his adornandis versati sint, quaerendum est Hauptius quidem, cui assentitur Meinekius, quoniam Priapi cavillationem atque Daphnidis cum caprario comparationem intra unius strophae fines absolvi cupit, deleto v. 89 pericopam ex sex versibus constantem effecit (85—8. 90. 1). Qua ex ratione fluxit, quod vir doctus responsionis causa vv. 76—83, eiecto v. 79, in unam coegit stropham. Sed in quo haesitavit ille, id ipsum non removit. Nam restat ea difficultas, quod Priapi sermo in duo membra valde imparia dirimitur.

Koechlyus eam viam ingressus est, ut ex vv. 80—91 duas strophas quinque utramque versuum faceret; consequitur autem hoc eo, quod v. interc. post v. 85 translocavit. De sermonis partitione idem ei obiciendum est quod Hauptio. Deinde vv. 85 et 86 disiunguntur, qui necessario coniungendi sunt, cf. paulo supra. Denique simile aliquid in duabus strophis detegere, quo responsio fiat, frustra studebis.

Copiosius de Ahrensii carminis divisione disserendum erit. Tribus primis, quas ille statuit, pericopis α′β′β′ (5. 2. 2) ut alterae tales responderent, insigni quadam audacia librorum memoriam mutavit. Delet enim primum Ahrensius vv. 77. 8. 9, quos ut ipsius utamur verbis, scholiastae non legerunt, qui ad v. 92 Mercurium non commemorant. Scholion autem est hoc: *Πρὸς τούτους δὲ, ἤτοι τοὺς βούτας, τοὺς ποιμένας καὶ τοὺς αἰπόλους, τὸν Πρίαπον καὶ τοὺς λοιπούς, οὐδέν τι ἐφθέγξατο ὁ βουκόλος.* Sane nihil expresse de Mercurio scholiastes annotat, quod tamen facere non debuit, nam, uti verba *καὶ τοὺς λοιπούς* docent, noluit quinam sub *τώς* (92) intelligendi essent accurate exponere, sed satis habebat ex ipsa vicinia *βούτας, ποιμένας, αἰπόλους* afferre. Ac facillime Mercurium omittere potuit, praesertim cum eius commemoratio paulo longius praecedat. Verba autem *καὶ τοὺς λοιπούς* quasi posterius additamentum uncis includere — sic Zieglerus in Ahrensii sententiam admodum proclivis — mihi quidem videtur perversum esse. Ceterum habemus aliud vetus scholion ad v. 77, quod versus 77. 8 genuinos esse docet: *ἦλθεν ὁ Ἑρμῆς πρώτιστος, ἢ ὡς φίλος Δάφνιδος ἢ ὡς ἐραστής.* Nihil igitur valent Ahrensii causae ad vv. 77. 8 in suspicionem vocandos. Ac sententiarum si spectaveris cohaerentiam quid aptius fingi potest quam a Mercurio ipso, nobili gregum pastorumque patrono, Daphnidem deficientem appellari? Tales versus certe non interpolatoris, sed egregii poetae officinam redolent.

Deinde invertit Ahrensius ordinem vv. 84. 5 atque versum 86

βούτας μὰν ἐλέγευ· νῦν δ'αἰπόλῳ ἀνδρὶ ἔοικας

librorum testimonio satis confirmatum exstirpat. Sed confiteor, versu 86 exempto e textu, iam nescire me, sequentia quid sibi velint, quia deest, quo quae a verbis *ᾡπόλος ὀκκ' ἐσορῇ κτλ* exorditur sententia pertineat. Itaque retinebimus versum plane necessarium.

Quod autem versus, de quo disceptamus, in codice Vaticano 6 a prima manu omissus est, a secunda adiectus, nullius est momenti.

In extrema Priapi oratione Ahrensius versus 92. 3 proscripsit, cum ii redundare viderentur, quos ea quam ille voluit stropharum descriptio non caperet. Sed versus quanta cum gravitate antecedentibus adiciantur quivis opinor sentit neque est cur pluribus exponam. Huc accedit, quod etiam scholion ad v. 92 in k cod. obvium *τὼς δ'οὐδέν: οὕτως εἰπόντων, οὐδέν τι ἀπεκρίνατο ὁ Δά-*

φνις ἀλλ' ἐσιώπα locum agnoscit verum ac genuinum. Neque unquam in Ahrensii opinionem abibimus. Ceterum hic attendas velim quanto opere vir doctus secum ipse dissentiat. Illius enim, quod pag. 13 attuli, scholii auctoritate utitur Ahrensius, ut vv. 77. 8 in suspicionem vocet, eiusdem scholii auctoritatem non curavit in hac quaestione, quamquam inde quoque debuit discere vv. 92. 3 a Theocrito esse profectos.

Ahrensium secutus Fritzschius vv. 92. 3 ipse quoque e verborum ordine exemit, qui rationi suae stropharum omnino obstarent; Kreusslerus contra eandem libertatem sibi non concesserat.

Retinuit etiam Hauptius versus quamvis responsionis legem turbantes. Qua ex difficultate ita se expedit — et alii eum sunt secuti —, ut distichon (92. 3) pro mesodo carminis ducendum esse dicat. Haec ratio quam vehementer abhorreat a legibus poeseos bucolicae, supra ostendisse mihi videor.

Hoc artificio — nam est re vera nihil nisi artificium — opus non est in mea carminis constitutione, ubi ex simplici cantus popularis norma singula disticha sibi succedunt.

Sequitur in libris quattuor versuum pericopa a v. 95 usque ad v. 98, quae quantum similitudinis habeat cum iis qui a v. 80 usque ad v. 83 leguntur etiam obiter intuenti in oculos incurrit. Atque sicuti ibi bipartitionem orationis recte statuisse nobis videmur, sic hoc quoque loco duo disticha latere putamus, quae poetae reddes addito versu intercalari. Sic in altero adventus Veneris narratur, ab altero eiusdem oratio inchoatur. Neque casui imputandum est, quod priores versus insigni quod habes in γελάοισα — ἔχοισα homoeoteleuto ornantur, posteriores in eodem verbo λυγιξεῖν — ἐλυγίχθης desinunt. Voluit poëta binos versus strophae vinculis astrictos, adhibita arte, quasi conglutinare et colligare.

Hinc usque ad v. 113 respondet Daphnis Veneris cavillationibus progrediente oratione meo quidem iudicio per quinque disticha. Atque initio legimus v. 100

τὰν δ'ἄρα χὠ Δάφνις ποταμείβετο . . . . ,

quae verba haud dubie per oppositionis formam respiciunt ad v. 92

τῶς δ'οὐδὲν ποτελέξαθ' ὁ βουκόλος . . . . ,

unde non nihil sumas argumenti contra Ahrensium et Fritzschium vv. 92. 3 condemnantes. Simul fortasse illud quoque ex comparatione emanabit utilitatis, ut quem

ad modum illo loco sic hoc quoque inchoari distichon, non tetrastichon putemus. Sed utcunque res se habet, vel triplex Veneris allocutio triplici anaphorae usu ornata id poscere videtur et flagitare, ut per se unius strophae finibus circumcludatur.

Idem de sequentibus duobus versibus 102. 3 statuendum est, qui proprium continent responsum quod Daphnis Veneri interroganti dat. Atque uti interrogatio disticho absolvitur (vv. 97. 8) sic vv. 102. 3 unam conficiunt stropham.

Qui in continuis leguntur vv. 105. 6. 7, in iis sententiam ineptire non est quod pluribus ostendam, quamquam non defuere, qui frustra, ut videtur, loci integritatem defenderent. Ac varias adhibueruut viri docti medicinas. Hauptius quidem, quocum concinunt Ahrensius et Zieglerus, delet vv. 106 et 107, cum Meinekius retineat v. 106. Unice veram rationem iniit J. Vahlenus[1]), qui verba *ἕρπε πότ' Ἀγχίσην* genuina esse docuit. Neque plus defecit quam quo ad versum explendum opus est. Cuius quidem hemistichii iactura ex eo est orta, quod verba *τηνεῖ — μέλισσαι* ex id. V, 45 propter communem utroque loco verbi *ἕρπειν* usum in margine adpicta sunt, deinde vel casu vel librariorum inscitia pro vera lectione in textum irrepserunt. Habemus igitur hic quoque in quamvis corrupta librorum memoria id quod nos expetimus distichon. Ceterum quid in versus 107 clausula fuerit, fortasse ex v. 109 coniectare licet. Ibi legimus: maturus est etiam Adonis (sic enim explicandum *καί*), quae verba non recte stant, nisi in praegressis iam de Anchisae maturitate sermo fuit. Itaque suspicor tale aliquid excidisse: (confer te ad Anchisen), qui aptus est tuis amoribus, quibuscum deinceps apte continuantur verba *ὡραῖος χὤδωνις*.

In proxima lege (vv. 109. 110) Hauptius et Ahrensius v. 110 deleverunt, hic ut tetrastichon ex vv. 105. 109. 112. 113 efficeret, ille ut ex vv. 105. 109 distichon. Putant enim versum

καὶ πτῶκας βάλλει καὶ θηρία πάντα διώκει.

ab interpolatore quodam fictum esse ad similitudinem eorum, quae exstant id. V, 107

ὄν τῷ παιδὶ δίδωμι τά θηρία πάντα διώκειν.

Verum enim vero nullam vim haec causa habere mihi videtur; nam ipsa similium illorum locorum contentio

[1]) ind. lectt. Univers. Berolin. 1876, pag. 12.

Theocriteam v. 110 originem docere debuit. Minuitur autem probabilitas coniecturae vehementissime eo, quod illi viri docti in hac ratione ἐπεί in ὀπεῖ mutare coguntur. Sic enim volunt efferri orationem

οὐ λέγεται τὰν Κύπριν ὁ βουκόλος, ἕρπε ποτ' Ἴδαν,
ὡραῖος χὤδωνις ὀπεῖ καὶ μᾶλα νομεύει,

i. e. ubi dicitur Venerem bubulcus — confer te ad Idam, aut (confer te eo) ubi Adonis oves pascit. Sed primum cur Anchisae nomen supprimitur, cum Adonidis ponatur? Deinde in orationis conformatione valde displicet ὀπεῖ vocula, quae in ineunte sententia, non in media esse debet. Tum καί particula in χὤδωνις vel maxime adversatur; neque enim Hauptii interpretatio, qui καί eodem quo ἤ sensu accipi vult, ita est comparata, ut stringat animum legentis probabilitate. Denique alterum καί (ante μᾶλα) non modo nullum admittit intellectum, sed etiam prorsus ineptit, nam Anchises erat βουκόλος, non ovium custos. Contra servato v. 110 nonne apte omnia procedunt? Apte legitur καί in χὤδωνις („etiam" vel „quoque"), apte ἐπεί causam affert, cur Adonis vocetur ὡραῖος, apte ter posita καί coniunctio orationem in tria membra partitur. Ac quanto ad artem poetae convenientius est tres Veneris amores tribus absolvi distichis quam duos priores in unius strophae fines inculcari? Retinebimus igitur quae in libris praebentur[1]).

Alia via G. Hermannus ex loci difficultatibus se expedire tentavit. Contra Hauptium haec scribit: „Mihi quidem deesse potius veteris scribae errore duo versus videntur, ut aliis quoque locis in hac bucolicorum collectione peccatum est. Nam quum hi poëtae fere ubique paria paribus componere atque comparare soleant, requirimus ut, si Daphnis duobus distichis Veneri amorem Anchisae et Adonidis, qui mortales fuerint, exprobrat, totidem versibus ei etiam quas diis libidinis et ignaviae poenas dederit in mentem revocat. Quare, nisi fallor, ut ex Iliade vulnus a Diomede acceptum memorat, ita ante haec verba ad Odysseam respiciens dixerat, recordare retis, in quo te Marti concubantem Vulcanus risui deorum exposuit. Tantum autem abest, ut addito disticho turbetur ratio stropharum, ut etiam aptior evadere videatur." Neque vero feliciter, ut opinor, rem gessit Hermannus. Nam quod summum est, nullo pacto efficitur ea quam ille cupit inter morta-

[1]) Altera quam Hauptius proposuit ratio, e qua vv. 109. 110 eiectis vv. 106. 7 et vv. 112. 113 in responsione essent, etiam minus feliciter videtur excogitata esse.

les oppositio, quia aeque atque Anchises et Adonis in heroum numero est Diomedes, quocum ex Hermanni sententia Vulcani exemplum coniungendum est. Accedit, quod tali additamento acerbitas verborum, quae Daphnis loquitur, non augetur, sed minuitur. Namque deo immortali succumbere non tantum habet flagitii, quantum homini mortali.

Duos etiam versus praeter versus 106 clausulam interisse statuit Kreusslerus talem aliquam requirens sententiam: „Tu vero nonne[1]) periisti Anchisen? Abi istuc, ille tibi me gratior erit; non solum pastor, est etiam regius puer, vetusto regum genere prognatus.“ Nanciscitur hoc modo vir doctus eam hic quattuor versuum stropham, qua ei ad perficiendam carminis descriptionem opus est. Sed artificiosam loci proportionem illa ratione prorsus turbari quis et quin primo obtutu videat? Nam iure quaerimus, cur poëta quattuor versibus Anchisae amorem Veneri exprobret, binis tantum modo Adonidis et Diomedis.

Idem contradicendum est Fritzschio et Schwabio, qui Kreussleri vestigiis institerunt, nisi quod sententiam aliter suppleri volunt. Putant enim sermonem fuisse in lacuna de caecato Anchisa. Frustra autem Fritzchius operam dat, ut rationem hanc e Servio fulciat. Qui nostrum, ut probabile est, locum respiciens bis[2]) de caecitate Anchisae annotat. Sed Servium eosdem quos hodie quoque in codicibus legimus versus *τηνεῖ — μέλισσαι* ante oculos habuisse ac fere eandem quam Plutarchum[3]) interpretationem esse secutum tam dilucide exposuit Meinekius in ed. III, pagg. 193. 4, ut addi nihil possit supra. Itaque hoc quoque praesidio Fritzschius et Schwabius destituti videntur esse.

Denique Koechlyus nulla cum probabilitate in his versatus est, cum locum sic constitueret:

οὐ λέγεται τὰν Κύπριν ὁ βουκόλος —, ἕρπε ποτ' Ἴδαν,
ἕρπε ποτ' Ἀγχίσαν — τηνεῖ δρύες, ὧδε κύπειρος —,
αὖτις ὅπως στασῇ Διομήδεος ἆσσον ἰοῖσα,
καὶ λέγε· ‚τὸν βούταν νικῶ Δάφνιν, ἀλλὰ μάχευ μοι'.
  ἄρχετε βουκολικᾶς Μοῖσαι φίλαι ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
ὡραῖος χὤδωνις ὀπεῖ καὶ μᾶλα νομεύει
καὶ πτῶκας βάλλει καὶ θηρία πάντα διώκει,

---

[1]) Kreusslerus scribi vult *οὐ λέγεται κτλ*, quod a Briggsio propositum merito vituperat Meinekius.

[2]) Ad Aen. II, 35 et ad Aen. II, 687.

[3]) Quaestt. natt. c. 36 p. 1126 ed. Duebner.

τεῖδε τύγ' ἔνθε, θεά, καὶ τοῦ κάπρου ἀντίον ἴκευ,
καὶ λέγε· ,τὸν βούταν κτείνω Δάφνιν, ἀλλά μοι εἶκε.'

Qua de ratione velim audias Kreusslerum sic iudicantem: Medicina usus est Koechlyus quantumvis ingeniosa fervidiore tamen quam quae diutius consideranti facile probari possit.

Nunc tandem pergere licet. In proximis quattuor versibus 115—118 duo haud dubie ponuntur: valedicit pastor deficiens bestiis silvarum, valedicit fontibus fluviisque. Verba quidem quae sunt

. . . ὁ βουκόλος ὔμμιν ἐγω Δάφνις οὐκέτ' ἀν' ὕλαν,
οὐκέτ' ἀνὰ δρυμώς, οὐκ ἄλσεα· . . . .

uno tenore lecta in alium sensum accipi non possunt nisi ut causa afferatur, cur Daphnis a bestiis decedere velit, ac post *οὐκ αλσεα* tale aliquid subaudiendum est quale „ubi vos versamini.“ Atqui in hac orationis progressione offendit si non *δρυμώς* attamen *ἄλσεα*, in quibus degere lupi et ursi recte dici nequeunt. Itaque retardo orationis cursum post *ὕλαν* addito versu intercalari ita, ut ab *οὐκέτ' ἀνὰ δρυμώς* novum incipiat enuntiatum, hunc quidem in modum: non iam ero in quercetis, non in nemoribus, itaque vale tu quoque Arethusa etc. *δρυμώς* autem leniore quadam poni significatione ideoque bene coniungi cum *ἄλσεα* docent tales loci quales exstant id. XX, 36

ἐν δρυμοῖσι φίλασε καὶ ἐν δρυμοῖσιν ἔκλαυσεν

vel Bion. id. I, 68

μηκέτ' ἐνὶ δρυμοῖς τεὸν ἀνέρα μύρεο Κύπρι.

Duo autem disticha quominus poetae reddamus non impedit ea quae triplici negatione efficitur anaphora; est potius *οὐκέτι* alterum pro vinculo, quo duae strophae inter se cohaerent.

His continuatur distichon illud vv. 120. 121

Δάφνις ἐγὼν ὅδε τῆνος ὁ τὰς βόας ὧδε νομεύων,
Δάφνις ὁ τὼς ταύρως καὶ πόρτιας ὧδε ποτίσδων,

quod si quidquam suo loco legi vel maxime contendo Initium enim versus 120 *Δάφνις ἐγών* per chiasmi formam respicere ad *ἐγώ Δάφνις* (v. 116) in apertissimo est. Deinde bipartito videmus sententiam in disticho expressam ad similitudinem eorum, quae praecedunt (115—118); nam *ὧδε νομεύων* ad silvas, bestiarum receptacula, referendum est, *ὧδε ποτίσδων* ad fontes fluviosque.

Hi versus 120. 121, qui in nostram carminis descriptionem egregie quadrant, vehementissime criticorum ani-

mos vexaverunt ac varia a viris doctis tentata sunt, in quae quidem conamina nunc inquiramus.

Ac Godofr. Hermannus versibus 120. 121 contineri carmen sepulcro Daphnidis inscribendum arbitratus duorum versuum lacunam ante v. 120 indicavit[1]). Secuti autem sunt Fritzschius et Zieglerus. Provocat Hermannus ad. Verg. ecl. V, 40 sqq., ubi moribundus Daphnis ita loquitur:

Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,
Pastores: mandat fieri sibi talia Daphnis.
Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen:
Daphnis ego in silvis, hinc usque ad sidera notus,
Formosi pecoris custos, formosior ipse.

Hac ex imitatione id sibi sumit vir doctus etiam apud Theocritum petisse Daphnidem a pastoribus, ut verba disticho 120.¦1 comprehensa quasi titulus infigerentur tumulo suo. Sed uti omnino ex sola imitatione nunquam aliquid certi efficitur nisi aliis praeterea causis allatis, sic hoc quoque loco ea ratio omni probabilitate destituta est. Sane verum est Vergilium in Mopsi cantu universe fabulam in Thyrsidis ode obviam ante oculos habuisse. Sed in singulis tanto opere Latinus poeta discrepat cum Graeco, ut probata illa ratione paene omnia et apud Theocritum et apud Vergilium in dubitatione collocari possint. Bene Hermanni opinionem refutavit Maur. Hauptius, rectissime ille quidem monens fieri posse nullo modo, ut Daphnis, qui paulo ante amicis responsum denegasset, ab ipsis extremum hoc peteret munus. De ea autem quam ipse proposuit ratione infra ad v. 130 pag sequ. disputabimus.

Koechlyus quoque duos versus ante v. 120 excidisse suspicatur, sic tamen orationis progressum ille quidem conformans

ὦ βόες, ὦ ταῦροι, ὦ πὰρ ποσὶ πόρτιες ἀργαί,
χαίρεθ'· ὁ βουκόλος· ὔμμιν ἐγὼ Δάφνις Ἄιδα βαίνω,
Δάφνις ἐγὼν ὅδε τῆνος ὁ τὰς βόας ὧδε νομεύων
Δάφνις ὁ τὼς ταύρως καὶ πόρτιας ὧδε ποτίσδων,

haec respondere vult praegressis versibus 115—8. Sed videtur vir doctus locum non emendasse sed plane corrupisse. Nam si Daphnis bubus ipsis valedicit, non debet pergere *Δάφνις ἐγὼν τὰς βόας νομεύων*, sed hunc in modum: Daphnis qui v o s pavi. Accedit, quod duplex ad-

[1]) Zimmerm. annall. 1837. n. 27 pp. 226. 7; postea Hermannus in Hauptii sententiam abiit, de qua pag. sqq. 33 agemus.

verbium ὧδε in hac orationis progressione non habet, quo pertineat. Vides igitur Koechlyi rationem prorsus esse improbandam.

Refutatis quae obstant virorum doctorum rationibus tandem ad sequentia pergamus. Jam res eo venit, ut moribundus pastor v. 123 Panem ipsum adeat precibus, qui adveniat fistulam cera compactam accepturus. Ac senties opinor, quanto hinc fervidior et sublimior evadat orationis progressus. Mutata autem orationis vis mutatam exigit qua exprimatur formam. Quare non est, cur mireris, quod Theocritus hinc usque ad finem cantum per latioris ambitus strophas procedere voluit; immo egregie hoc cum ipsa re congruit. Prorsus similiter in altero idyllio quaterniones a quinionibus excipiuntur. Verum enim vero in iis qui per strophas habentur numeris 4. 3. 5. 4 nulla artis lex cognoscitur, quod etiam magis offensioni erit, si tecum reputaveris, quam affabre priora sint elaborata. Atque ut meam iam proferam opinionem, si rectam inieris rationem, exitus quoque carminis in integrum statum redigi videtur posse.

In vv. 123—126 nihil cum prostet, quod nos retardare possit, in continuo tristicho vv. 128. 9. 130 paulo diutius subsistendum erit. Nam multa in eo tentata sunt a viris doctis, utpote quod ab omni proportione abhorreat.

Hauptius quidem vv. 120. 1 post v. 130 collocavit, ut pentastichon evaderet vv. 128. 129. 130. 120. 121 continens, quocum quinque versus 132—136 responderent, affirmans ille quidem vv. 120. 1 suo loco ineptire, post v. 130 egregiam efficere sententiam. Et eum omnes secuti sunt, qui id egerunt, ut ex strophis et antistrophis carmen compositum esse ostenderent, etiam Kreusslerus, quamquam in ceteris cum Hauptio dissentit. Quid vero, quaeso, Hauptii transmutatione proficitur? Nihil quidem, ut opinor. Nam primum quod maxime contra illum pugnat, ne minima quidem inter strophae et antistrophae sententias intercedit similitudo. Deinde iam deest, duplex quod est ὧδε adverbium quo referatur. Denique post gravissimas Panis allocutiones, qui veniat, ut fistulam accipiat dono, quam misere claudicat oratio, si quidem Daphnis rursus, quae in superioribus iam erant confecta, in mentem sibi revocat, rursus ad boves vitulosque suos relabitur. Contra, modo libenter in poëtae consilium penetrare studeamus, rectissime vv. 120. 1 tradito loco leguntur ut supra pag. 18 exposuisse nobis videmur. Atque hic est imprimis, ubi quam falsum sit cum Hauptio bi-

narum stropharum responsionem exspectare lumine fulget clarissimo.

Mirum in modum Schwabius Hauptii sententiam in suum usum convertit. Pro tristicho 128. 9. 130 ut haberet quaternionem, transposuit post v. 130 solum versum 120 deleto versu 121. Sed ne multus sim in refellendo, videntur haec omni carere ratione. Etenim prorsus nulla, si quid sentio, causa afferri potest, quae ad condemnandum versum 121 praesertim servato gemello versu 120 satis valeat.

Quinque versus ex tribus fecit ingenii lusu Koechlyus, qui quidem sic locum e coniectura conformavit:

ἔνθ' ὦναξ καὶ τάνδε φέρ' εὐπάκτοιο μελίπνουν
ἐκ καρῶ σύριγγα καλῶς καλάμοισιν ἑλικτάν.
ἔνθ' ὦναξ καὶ τάνδε καλὰν περὶ χεῖλος ἐρείδων
βουκολικὰν πυμάταν τὺ μελίσδεό μοι χάριν ᾠδάν —
ἦ γὰρ ἐγὼν ὑπ' Ἔρωτος ἐς Ἅιδος ἕλκομαι ἤδη —

Sed supplementum, quod vehementer mihi displicet, ex falsa loci interpretatione fluxit. Scribit enim Koechlyus l. l. pag 35: „Jam Panem ubicunque moretur advenire iubet cum syringe sua, ut morienti sibi funebrem meditetur cantilenam propter crudelissimum suum fatum toti rerum naturae ex more maledicturam (132—6).“ Sed non de Panis fistula, sed de ipsius Daphnidis agitur, quam pastor patrono suo dono est daturus. Hoc extra omnem dubitationis aleam ponitur pronomine illo *τάνδε*, quod nullum nisi hunc admittit intellectum: hanc quam in manibus habeo fistulam. Itaque ea quoque corruit Koechlyi sententia, e qua vv. 132—6 contineatur funebre carmen a Pane canendum.

Restat, ut Fritzschii rationem contemplemur. Addit enim post v. 129

χοὔτοι τὶν φθονέω· Δάφνιν μέγα νῦν θεὸς ἑξεῖς.

Prior versus pars *χοὔτοι τὶν φθονέω* in deterioribus codicibus exstat pro eo quod e scholiis et codice k v. 62 restitutum est *χοὔτι τυ κεριομέω*. Ac dubitari nequit, quin *κεριομέω* a poeta sit profectum, *φθονέω* autem nihil sit nisi librarii cuiusdam interpretamentum. Itaque contra artis criticae leges peccavit Fritzschius, cum propriam vim tribueret illis verbis. Cetera confecit vir doctus secundum Vergiliana (ecl. II, 36)

. . . . te nunc habet ista secundum.

Quodsi sententiam examinavereris Fritzschii ratione effectam, statim intelliges, quam non habeat ea quo

commendetur. Neque enim quidquam novi illo additamento in orationem infertur, quae languidior potius evadere videtur. Accedit, quod versus 130 multo aptius cum antecedentibus 128. 9 continuatur, nihil si interpositum est: accipe fistulam, nam ego ad inferos descensurus sum. Vides igitur, quibus causis commotus Fritzschio non adsentiar.

Tamen cum omnibus his viris ea mihi restat difficultas, quod persuadere mihi non possum ex eis, quas supra posui, rationibus Theocritum stropharum aequabilitatem ita interrupisse, ut tristichon unum insereret. Itaque ego quoque censeo versum esse omissum, non tamen in media stropha sed in exeunte. In eo quid fuerit vide num recte iudicem. Nusquam per Thyrsidis oden quae tandem causa sit mortis immaturae dicit Daphnis, id quod certe est eius, qui immeritus mori tamen mortem effugere non potest. Quodsi recte sentio, nusquam aptiorem, ubi illa addantur, locum invenias quam post v. 130, hunc in modum: *ἣ γὰρ ἐγὼν ὑπ᾽ ἔρωτος ἐς Ἀΐδαν ἕλκομαι ἤδη*, ego qui nihil commisi nisi quod amoris contemptorem me fore gloriatus sum. Haec si vere a me disputata sunt, habes quattuor versuum stropham, quae satisfaciat desiderio.

Sequitur deinde in ordine stropharum quod a v. 132 usque ad v. 136 legitur pentastichon. Et retinetur integrum ab Hauptio ceterisque, qui responsionis rationi favent. Fritzschius contra versum 134

πάντα ἔναλλα γένοιτο, καὶ ἁ πίτυς ὄχνας ἐνείκαι

adulterinum esse certissimis argumentis demonstravit probante Zieglero. Alienum esse a loci sententia versum, quia post singularia *ἴα — ἄκανθα — νάρκισσος* generalia illa *πάντα ἔναλλα γένοιτο* ponantur ita quidem, ut rursus oratio ad singularia *πίτυς — ὥλαφος — σκῶπες* relabatur. Ac re vera concedendum est sententiam omisso v. 134 unice aptam evadere, ea ratione, ut priore loco inanimata deinde animalia proferantur, cum verba quae ad utramque et praecedentem et sequentem orationem pertinent *Δάφνις ἐπεὶ θνάσκει* medium teneant locum. Itaque nullus dubito in Fritzschii sententiam abire. Sic habemus quod nos desideramus tetrastichon.

Quae deinceps legitur quattuor versuum stropha 138—141 finem imponit toti carmini.

Neque igitur cantui adnumerandi sunt qui sequuntur tres versus, quod Schwabius voluit. Nam vv. 143. 4. 5,

si quid video, ad vv. 23 sqq. respiciunt, ubi caprarius haec:

. . . . αἰ δὲ κ'ἀείσῃς,
αἶγα . . τοι δωσῶ διδυματόκον . . .
καὶ βαθὺ κισσύβιον· . . . . . .

Hoc si vere statui, actum est de Schwabii sententia.

Ex hac mea disputatione simul apparebit non ita recte Hauptium tres in carmine partes posuisse: vv. 64—94 (luctum), vv. 95—114 (altercationem), 115—142 (decessum). Quarum duae priores artius inter se cohaerunt, quam ut recte dissocientur, nec vv. 115—118, praesertim si vv. 120. 1 suo loco legi tibi persuaseris, in tertiam partem bene quadrant. Res potius sic se habet. Usque ad v. 121 narrantur, quae Daphnidis obitum praegrediuntur, deinde usque ad finem extrema hora ipseque decessus ante oculos legentium ponitur. Sententiarum igitur divisio non est alia nisi quae stropharum vice v. 123 indicatur.

Hinc suspensa est quaestio ea, quid de triplici versus intercalaris forma,

ἄρχετε βουκολικᾶς Μοῖσαι φίλαι ἄρχετ' ἀοιδᾶς,
ἄρχετε βουκολικᾶς Μοῖσαι πάλιν ἄρχετ' ἀοιδᾶς,
λήγετε βουκολικᾶς Μοῖσαι ἴτε λήγετ' ἀοιδᾶς,

iudicandum sit. In codicum memoria nihil est praesidii, quoniam illi versus promiscue sine ulla ratione exhibentur Sunt qui trium partium suam cuique ephymnii formam adiudicent; quam quidem rationem cur improbem ex paulo supra dictis satis apparebit. Propius ad veritatem accedere videtur Hauptius, cum *ἄρχετε — φίλαι* semel in principio, deinde a versu 70 usque ad v. 136 alteram formam *ἄρχετε — πάλιν,* denique *λήγετε κτλ* bis, initio et fine ultimae strophae, ponat. Una tamen pusilla res restat, quae mihi displicet. Nam tertia versus intercalaris forma non bis, sed semel exhibenda videtur esse. Incipit cantus a Musarum invocatione *ἄρχετε — φίλαι,* ac quotiescunque rhythmorum vel versuum complexiones repetuntur, denuo (*πάλιν*) Musae invocantur, donec cantum exeuntem semel positus versus *λήγετε κτλ* claudit. Quae ratio eo commendari videtur, quod ad ipsum in illis versibus verborum significatum se applicat. Favet etiam, quantum potest, Vergilii imitatio, qui in ecloga VII per totum Damonis carmen versum intercalarem

incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus

usurpat, excepto uno extremo versu

desine Maenalios iam desine, tibia, versus.

Similiter in Alphesiboei cantilena ultimum tantum modo ephymnium variatur.

Reliquum est, ut uno verbo Gebaueri mentionem faciam. Qui rem ita instituit, ut singulis strophis versum ἄρχετε — φίλαι, singulis antistrophis versum ἄρχετε — πάλιν praefigat, quam rationem vel ideo vitupero, quia me iudice ipsa responsionis lex falso in idyllia Theocritea infertur.

Haec habui, quae de carmine Thyrsidis disputarem; quod ex mea qualicunque sententia eam in strophis praebet rationem, ut a versu 66 unum et viginti disticha, a v. 123 quattuor tetrasticha singulis discreta versibus intercalaribus sibi succedant.

Transeo nunc ad

id. III

tractandum. Cuius rationes in libris satis bene servatae prostant. Tamen exstiterunt, qui a praeviis profecti opinionibus ita in caprarii carmine constituendo versarentur, ut dulcem eius leporem et simplicitatem paene extinguerent. Quae cum ita sint, id mihi proposui, ut denuo in rem paulo acrius inquirerem. Atque eam inibo viam, ut primo loco meam proferam qualemcunque sententiam, deinde quaecunque in his tentata sunt a doctis breviter attingam et quantum potero refellam.

In fronte cantilenae tres binorum versuum strophae occurrunt, quae quam artificiose elaboratae sint, primo obtutu apparet. Prima enim (vv. 6. 7) incipit a suavi puellae appellatione ὦ χαρίεσσ' Ἀμαρυλλί, cui prorsus verae et ad similitudinem naturae humanae fictae caprarii querelae continuantur, cur Amaryllis non iam se amasiunculum vocet, num se oderit. Hac ex odii commemoratione altera stropha suspensa est ita quidem (vv. 8. 9), ut pastor quasi causas esse illius odii deformitatem suam atque promissam barbam fingat; quod quidem si re comprobatum erit, pergit ille, ἀπάγξασθαί με ποιήσεις. Sed statim missis his dubitationibus, offert is in tertio disticho (vv. 10. 11) decem mala, quae virgo ipsa afferre eum iusserat, simul lepide pollicitus alia postero die se praestaturum.

Quae deinceps leguntur duo tristicha (vv. 12–14, 15—17), in iis sententiarum connexus progressusque est hic: Si te, ait pastor, nec forma mea (str. 2) nec dona oblata (str. 3) mitiorem in me reddunt, at dolorem meum vide miserrimum, quem utinam eo restinguerem, quod

apis instar in antrum tuum penetrarem. Sed amoris voluptate frui Amor me prohibet deus crudelissimus.

Nihilo tamen secius pastor nondum de Amaryllide sua desperat, sed iterum allocutus puellam (v. 18) obsecrat verbis blandissimis, ut se ne arceat a complexu atque osculis. Qua in stropha (vv. 18. 19. 20) redire poetam eo unde est profectus (vv. 6. 7) vel ipsa forma satis indicatur; hinc efficitur, ut si quis omnino in partes carmen distinguere velit, prima pars post v. 20 finienda sit.

Sed de ipso versu 20

ἔστι καὶ ἐν κενεοῖσι φιλάμασιν ἁδέα τέρψις

magna est inter viros doctos contentio. Idem enim versus legitur id. XXVII, 4 ita quidem, ut ex verborum ordine eximi prorsus nequeat. Hinc orsus Valckenarius primus versum in id. III ut ad sententiam non ita necessarium in suspicionem vocavit. Damnavit quoque Maur. Hauptius[1]), qui tamen ut inde a. v. 12 usque ad finem mera constitueret tristicha, versum 24 in locum versus 20 eiecti suffecit. Assensus est Godofr. Hermannus, sic ille quidem de id. III statuens: „Id quattuordecim strophis constare, quarum tres primae duos versus, ceterae omnes autem tres haberent, indicavi in censura editionis Meinekianae (alterius). Perfecit rem Hauptius, cum Mus. Rhen. 1846 pag. 272 versum 20 ut ex XXVII, 4 adscriptum delendum esse docuit.“ Eandem sententiam amplexus est Franc. Buechelerus[2]). Sed quas Hauptius protulit causas perpendamus. Putabat igitur vir doctissimus versum 20 ex id. XXVII, 4 adscriptum librariorum errore in textum irrepsisse, negabat eundem versum per mutuationem ex id. III in id. XXVII esse assumptum, id quod alii contendunt. Nam eius, qui Ὀαριστύν composuisset, non esse tam rustice Theocritum imitari, ut totum unum versum in suum usum converteret. Sed hoc argumento, quod Hauptius maxime urguebat, nihil ut opinor efficitur. Nam per se fieri potuit, ut versus ex id. XXVII ad id. III, 19 propter communem verbi *φιλεῖν* usum appingeretur, potuit fieri, ut versus ex id. III sumptus in id. XXVII reciperetur. Omnis igitur de v. 20 quaestio redit eo, ut diiudicemus, utrum versus 20 suo loco apte legatur an non. Atque ut ego sentio, versus ad orationem egregie quadrat, modo rectam adhibeas

[1]) Mus. Rhen. a. 1846 pag. 272.
[2]) Mus. Rhen. XVIII pag. 315.

interpretationem. Ea sane loci explicatio: „da mihi oscula, nam in tuis basiis, quamquam vana sunt, tamen dulcis est voluptas“ tolerari nequit. Nam caprarium amatorem prorsus dedecet *φιλήματα* puellae suae *κενεά* dicere, praesertim cum gratiam eius sibi reconciliaturus sit. Sed si eam interpretandi viam ingrediemur, e qua versus 20 sententia universe efferatur, optime omnia se habebunt: „da mihi oscula; nam in osculis quamvis vanis dulcis inest voluptas.“ Et bene perspexit qui id. XXVII confecit quo sensu positus esset hic versus, nam ipse quoque in universum habet conversam versus sententiam. Tamen fortasse quispiam dicat parum apte addi vividis caprarii precibus

. . *πρόσπτυξαί με τὸν αἰπόλον, ὥς τυ φιλάσω*

ieiuniora illa

ἔστι καὶ ἐν κενεοῖσι φιλάμασι ἁδέα τέρψις

et abstrusiore illa ratiocinatione iustam apud pastores ingenii simplicitatem longe excedi. Licet sane in hac re criticorum alius aliter iudicet, ego nihil inde nasci censeo, quo in disceptatione collocetur Theocritea versus arigo. Ac cum fructu fortasse contendatur id. IV, 38 sqq., ubi post Batti de Amaryllide mortua querelas sic pergit Corydon consolandi gratia

θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε· τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον.
ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.
χὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει,

qua in responsione paulo doctius pro ingenio suo pastorem esse locutum quivis concedet. Ac solatium sibi ipse affert caprarius hoc quoque loco, quod maiora puella ei denegavit; itaque contentum se fore dicit, dummodo dulci osculorum voluptate frui liceat. Habemus in his modeste petentis aliquam professionem, uti rectissime Vahlenus ind. lectt. Univ. Berol. 1876 pag. 11 monuit. Quibus ex causis omnibus versum 20 retinendum esse censeo. Quo accedit, quod idem etiam ad recte perficiendum strophae ambitum necessarius est.

Jam progredi licet. Quae tum sunt obviae strophae trinariae (vv. 21. 2. 3 et 25. 6. 7), earum in priore pastor repudiatus coronam puellae servatam diminuturum sese, in altera undis mortem quaesiturum minatur. Has inter duas, quod nullo modo exspectes, interpositus est v. 24

ὤμοι ἐγώ, τί πάθω; τί ὁ δύσσοος; ουχ ὑπακούεις;

Qui quam non habeat hic rectum intellectum rectumque locum ostendere conabor. Namque quo quaeso per-

tinent illa *ὤμοι ἐγὼ τί πάθω; τί ὁ δύσσοος?* An ad minas eas, quibus pastor vv. 21. 2. 3 Amaryllidem insequitur? Minime. Quo porro respiciunt illa *οὐχ' ὑπακούεις;* quoniam nulla appellatio aut adhortatio proxime praecedit. Vides igitur, quibus difficultatibus librorum memoria sit obstricta. Immo illa de sorte infelici querela ex eo certissime nata est, quod puella preces pastoris, quae sunt in vv. 6. 7 et 18. 19. 20, non audivit. Frustra enim caprarius petiverat vv. 6. 7, Amaryllis ut antrum intrandi potestatem faceret, frustra deinde vv. 18. 19. 20, ut osculis frui sibi liceret. His quid aptius subiungatur quam versus

ὤμοι ἐγώ, τί πάθω; τί ὁ δύσσοος; οὐχ ὑπακούεις;

Sic omnes evanescunt difficultates. Iam habet *τί πάθω,* quo referatur, habet *οὐχ ὑπακούεις,* quo pertineat. Qua ex animi condicione vere et secundum naturam hominum eo caprarius procedit, ut minis consequi conetur, quod precibus erat denegatum. Deinde duo tristicha vv. 21. 2. 3 et 25. 26. 27, quae artissime inter se cohaerent, non turpiter separantur. Itaque nullus dubito, quin versus 24 post v. 20 collocandus sit.

Reliquum est, ut Hauptii versus 24 transpositionem refutemus. Deleti igitur versus 20 loco translocari iubet vir doctus versum 24 assentiente Hermanno. Sed quod illa ratione ex vv. 18. 19. 24 efficitur tristichon ita quidem est comparatum, ut prorsus non possit probari. Nam versus 24 tantum abest ut recte cum sententia strophae ambitum perficiat, ut contra qualemcunque cum vv. 18. 19 copulationem respuat.

Sed redeamus ad nostram carminis descriptionem. Post strophas vv. 21. 2. 3 et 25. 6. 7 quattuor habentur tristicha, in quibus amator misellus de puellae amore paene desperat, dum vv. 37—39 novam boni eventus spem ex saliente oculo capit; atque ne illa se ut pastorem contemnat asperneturque, quattuor profert exempla, quibus etiam deas vel nobilissimae condicionis mulieres pastores in deliciis habuisse comprobet. Sed tamen surdis auribus sese canere intelligens tribus extremis versibus comum determinat.

Sic habemus eam in caprarii cantilena compositionis formam, ut tria disticha a quattuordecim tristichis excipiantur. Quam rationem versus *ὤμοι ἐγὼ τί κτλ,* qui per se positus est, prorsus turbare videtur. Quaeritur igitur, quo modo ille versus accipiendus sit. Atque, uti mihi persuasi, comus a caprario canitur totus. Qui quoniam

secundum artis musicae regulas conformatus est, versus 24 quoque vim et significationem nisi e musicis rationibus explicare non licet. Ac finge ante *ὤμοι ἐγὼ τί κτλ* pausam fieri tantum temporis continentem quantum duos versus canendo consumitur: iam stropharum aequabilitas restituta erit. Quae quidem pausa bene cum vi loci congruit. Nam adhortatus amatam caprarius: *πρόςπτυξαί με τὸν αἰπόλον, ὥς τυ φιλάσω* retinet cantum aliquamdiu, ut moremne sibi gerat puella observet. Tum demum nihil ea respondente denuo inchoat ira et dolore excitatus

ὤμοι ἐγὼ τί πάθω; τί ὁ δύσσοος; οὐχ ὑπακούεις;

Hanc explicationem veram esse firmiter obtineo neque calculum meum adicio Ameisio iisque qui eum sunt secuti. Ameisius[1]) enim et versum 24[2]) et vv. 37. 8. 9 ut recitatos ab ipso cantu separari vult; ex duabus autem cantilenis caprarii comum constare, quarum priori v. 36 finem imponatur, alterum a. v. 41 inchoetur, abrumpatur v. 51. Assensi sunt Gebauerus et Fritzchius; eo autem processerunt, ut ex similitudine verborum quae sunt v. 38

. . *ᾀσεῦμαι ποτὶ τὰν πίτυν ὧδ' ἀποκλινθείς*

et v. 52

. . . . *οὐκέτ' ἀείδω*

ultimam quoque stropham (vv. 52. 3. 4) e cantatis versibus eximendam esse concluderent.

Sed haec ratio quanto opere abhorreat a simplicitate compositionis, quam in sua idyllia Theocritus ex carminibus pastoriciis transtulit, vix est quod pluribus exponam. Comastes enim haud dubie, ut ita dicam, ex tempore versus suos facere cogitandus est. Itaque non est quod mireris, si cantor hic illic a recta via paululum deflectit; nam statim sine ulla affectatione profert, quaecunque ei in canendo in mentem veniunt. Quod cum mascula pastorum Theocriteorum simplicitate et festivitate optime concinit. Eo pertinent talia qualia sunt (v. 24)

ὤμοι ἐγὼ τί πάθω; τί ὁ δύσσοος; οὐχ ὑπακούεις;

et vv. 37. 8. 9

ἄλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός· ἦ ῥά γ' ἰδησῶ
αὐτάν; ᾀσεῦμαι ποτὶ τὰν πίτυν ὧδ' ἀποκλινθείς,
καί κέ μ' ἴσως ποτίδοι, ἐπεὶ οὐκ ἀδαμαντίνα ἐστίν,

et vv. 52. 3. 4

---

[1]) Adnott. in Theocrit. Muehlhaus. 1840, pag. 26.

[2]) Fritzschio auctore (tom I, pag. 118) de versu 24 in eandem sententiam abiit G. Hermannus; videtur igitur vir doctus ab Hauptio, quocum facit de a. p. b. pag. 10, postea defecisse.

ἀλγέω τὰν κεφαλάν, τὶν δ'οὐ μέλει. οὐκέτ' ἀείδω,
κεισεῦμαι δὲ πεσών, καὶ τοὶ λύκοι ὧδέ μ'ἔδονται.
ὡς μέλι τοι γλυκὺ τοῦτο κατὰ βρόχθοιο γένοιτο.

Praeterea perversissimum esse videtur duas in cantilenas comum distinguere. Studet enim pastor misellus puellae gratiam sibi reconciliare, id quod quacunque ratione assecuturus est sive precibus sive minis sive exemplis prolatis.

Ceterum quas Ameisius protulit causae perfacile refutantur. Suam enim de vv. 37. 8. 9 ut comprobet sententiam, eo potissimum nititur argumento, quod caprarius, cum per cantilenam praegressam altera persona utatur, in hoc tristicho *αὐτάν* dicit pro *σέ*, *ποτίδοι* pro *ποτίδοις*. Sed haec contra eum ipsum pugnare videntur. Nam in versu 24 secundum Ameisii opinionem item recitato nonne habetur altera pronominis persona in verbis *οὐχ ὑπακούεις?* Perverse autem agunt, qui *ὑπακούει* scribi volunt. Verum enim vero ad tertiae personae usum in vv. 37. 8. 9. vir doctus provocare non debuit. Nam caprarius, postquam nihil intentatum reliquit, ut puellam sibi facilem redderet, bonam capit spem ex omine quodam improviso. Itaque ad fastigium gaudii repente elatus „Ah", pergit, „salit oculus; re vera eam (non te!) videbo?" Nascitur ergo hoc ex subito mutata animi condicione.

Eisdem argumentis Gebauerum refellere licet. Nam in ultima quoque stropha, aeque ac v. 24, ipsa puella compellatur, ut *τίν* et *τοί* pronomina demonstrant. Vereor autem, ne nimis Gebauerus sibi indulserit, cum id ageret, ut in comparis longitudinis partes caprarii cantilenam divideret. Schema enim ab illo propositum est hoc

II. III.|2. 2. 2.|3. 3. 3. 3.|I.|3. 3. 3. 3.|III. 3. 3. 3. 3. III.

Seiunctis igitur ab ipso carmine v. 24, deinde vv. 37. 8. 9, ad postremum vv. 52. 3. 4 ter quattuor effici tristicha, quae praegrediuntur tria disticha. Sed talis in numeris lusus est vanus et irritus, praesertim si ex falsa carminis partitione proficiscitur. Neque enim quidquam refert, quot ex strophis caprarii comus constet, ac si quis recte carmen dispositurus est, prima pars finietur post v. 20, altera post v. 39, tertia denique reliqua comprehendet.

Ea quam Ameisius monstravit via quo quis deferri possit, edocet Junghansii[1]) exemplum, qui ex verbis quae sunt *ᾀσεῦμαι* (v. 38) et *οὐκέτ' ἀείδω* (v. 52) id sibi sumit esse a caprario recitata omnia exceptis unis quattuor

[1]) Jahnii annall. 1869, pag. 530 sqq.

tristichis (vv. 40—51). In eandem suspicionem se incidisse iam antea Franc. Buechelerus[1]) indicavit. Sed ex illis verbis minime conficitur, quod Junghansius ponit. Nam cur non ipso cantu, sed recitatione pastor talia proferre cogitandus sit qualia sunt *ᾀσεῦμαι* et *οὐκέτ' ἀείδω*, equidem me non intelligere profiteor. Respuo igitur, quodcunque contra simplicem et unice veram rationem pugnat eam, e qua totus caprarii comus cantui assignetur.

Venio nunc ad sententias recensendas eorum virorum, qui mutationibus et transpositionibus efficere studuerunt, ut mera tristicha per carmen regnarent. Horum in numero sunt Ahrensius, Hartungius, Peiperus.

Atque Ahrensius quidem, contra quem disputavit Fr. Buechelerus in Mus. Rhen. 1859 XV pag. 451 sqq., versum 9 ut spurium e verborum ordine seclusit, ut ex vv. 6. 7. 8 unum evaderet tristichon. Sed primum Vergilii imitatio quae exstat ecl. VIII, 34. 5

dumque tibi est odio mea fistula, dumque capellae,
hirsutumque supercilium, p r o m i s s a q u e b a r b a

versum 9 tuetur. Deinde v. 8 non bene cum vv. 6. 7 in eiusdem strophae finibus collocatur; nam vv. 8. et 9 artissime inter se cohaerentes ab illis *ἦ ῥά με μισεῖς* pendere iam supra pag. 24 exposui. Particula autem *ἦ ῥα* repetita non eam habet vim, ut vv. 6. 7. 8 in unam redigat stropham, sed tantum modo pro vinculo est, quo distichon 8. 9 cum praegrediente 6. 7 connectatur. Retinebimus igitur eum qui in libris habetur ordinem horum versuum.

Huic tristicho subiungit Ahrensius vv. 21. 2. 3, qui quidem suo loco aptissime legi nobis sunt supra visi. Turbatur autem hoc modo minarum progressio, quam agnoscas in vv. 21—3 et 25—7, cum illa stropha (21—3) post v. 8 collocata prorsus nihil ad sententiam expediendam valeat. Nam priusquam pastor ad minitandum confugeret, omnia ei erant conanda, ut puellae animum precibus molliret. Itaque rectissime in libris sequuntur vv. 10. 11 *ἠνίδε κτλ*, ineptiunt vv. 21. 2. 3 ab Ahrensio hic positi. Hos quod excipit apud eundem tristichon versus 24. 10. 11 continet. Sed quid similitudinis esse putemus inter v. 24 et vv. 10. 11, ita ut sententia in stropha fiat concinna et rotunda? Ego nihil me invenire confiteor. Scripturam autem versus 24, quam Ahrensius contra libros proponit

---

[1]) Mus. Rhen. 1859 pag. 543.

ὤμοι ἐγών, τί πάθω; ἁ δύσσοος, οὐχ ὑπακούεις;

nemo facile probabit. In sequentibus usque ad finem carminis Ahrensius stropharum ordinem in codicibus obvium retinet, nisi quod inter v. 20 et v. 25 quattuor illos versus, quos posuit post v. 8, exemit.

Aliquanto brevius de Hartungii[1]) ratione disseremus. Hic enim Ahrensii vestigia legens eam amplectitur sententiam, e qua cantilena a poëta ita sit composita, ut ternos versus unaquaque contineat stropha; veram autem rationem esse turbatam partim interpolatis partim omissis versibus. In illis habet cum Ahrensio v. 9, cum Hauptio v. 20; ipse proscribit versum 27 nulla certe alia de causa, nisi ut vv. 24. 5. 6 in unam, atque eam pessimam stropham redigat. Nam quae contra v. 27 profert, plane inepta sunt. Iam vide, quam misere idem foedaverit versum 24, quocum sequentes vv. 25. 6 continuarentur

ὤ μοι ἐγώ, τί πάθω; τί ὁ δύσσοος οὐχ ὑπ' ἀλίκας
τὰν βαίταν ἀποδύς, ἐς κύματα τηνῶ ἁλεῦμαι κτλ

Talia omni carent ratione, atque in placitis potius quam in emendationibus habenda. Excidisse porro genuinos versus ponit Hartungius post v. 10 et v. 19 (pro *ἔστι καὶ ἐν κτλ*, quem versum ut adulterinum uncis includit); quales autem hi versus fuerint, ne augurari quidem licere. Prorsus incredibile hoc. Nam si quis defectum verborum vel versuum statuit, eius est defectum quoque sententiarum ostendere. Atqui discessit ille ab hoc officio. Ergo Hartungii rationem improbabimus.

Suam de id. III opinionem paucis indicavit etiam Rudolfus Peiperus[2]). Deleto cum Ahrensio versu 9 vv. 6. 7. 8 quasi unum accipit tristichon. Versus autem 10. 11, quibuscum arte connectit versum 24, post stropham ex vv. 34. 5. 6 compositam collocavit, quo quidem loco uno recte fieret donorum commemoratio. Ac primum per verborum vim et significationem nullo pacto licet versum 24 adiungere versibus 10. 11. Tum contradicendum est ea, quae vv. 10. 11 memorantur mala, non ita accipienda esse pro donis, quia puella ipsa, illa ut sibi ferret, caprario mandaverat. Hac autem oboedientia post v. 9 quasi in medio posita in gratiam se rediturum cum Amaryllide sperat amator. Longe aliter res se habet vv. 34. 5. 6 quo loco idem zelotypiam puellae excitare studet. Diversissimi igitur generis sunt vv. 10. 11 et

[1]) edit. a. 1858 pagg. 370. 1.
[2]) Jahnii annall. a. 1859, pag. 334.

vv. 34. 5. 6, ita ut illos his assuere praecipue contra librorum auctoritatem non liceat.

Iam pergamus ad Ribbeckium[1]), qui violentissima in hoc idyllio constituendo ratione est usus. Adversarii partes in eum suscepit Fr. Buechelerus[2]). De versibus 20 et 24 Hauptium secutus (cf. supra pag. 27) Ribbeckius inde a versu *Θᾶσαι μὰν θυμαλγὲς κτλ* usque ad finem eam in tristichis legem regnare vult, ut bina sese excipientia in responsione sint. Hac ex ratione, pro nihilo ducta librorum memoria, stropharum paria nanciscitur vir doctus haec:

12. 13. 14. ———— 18. 19. 24.
21. 22. 23. ———— 34. 35 36.
28. 29. 30. ———— 31. 32. 33.
15. 16. 17. ———— 25. 26. 27.

Ac quod ad primas duas attinet strophas, quas ob causas versum 24 ad vv. 18. 19 adiungi vetemus, in superioribus iam explicavimus. Deinde in vv. 12. 13. 14 nihil certe inest, quocum vv. 18. 19. 24 paulo artius cohaereant. Nam quod Ribbeckius dicit libidinosae cupiditati *αἴθε γενοίμαν κτλ* (v. 12) respondere blanditias illas (v. 19) *πρόσπτυξαί με κτλ*, plane est nihili. Neque aliter de iis quae e Ribbeckii mutatione evadunt distichis duobus proximis est iudicandum. Collocavit enim vir doctus versus 34. 5. 6 post vv. 21. 22. 23 ea de causa, quia in utraque stropha verbum quod est *φυλάσσειν* a poeta ponitur. Sed reputa tecum, sic quid efficiatur! Dirimuntur quae uno tenore legi debent minae illae vv. 21. 2. 3 et 25. 6. 7 comprehensae. Contra copulantur, quae diversissimi sunt argumenti: priore enim disticho (21. 2. 3) minitatur caprarius, altero (34. 5. 6) callide id agit, ut zelotypiam virginis excitet. Quid quaeso in his invenitur similitudinis, quod nos eo ducat, ut viro docto calculum nostrum adiciamus? Nihil quidem me iudice. Post v. 33 denique inculcavit Ribbeckius vv. 15. 6. 7—25 6. 7. Quid autem sibi velit illud *νῦν ἔγνων τὸν Ἔρωτα κτλ* post v. 33, praesertim cum modo de praesagiis quibusdam sermo fuerit, equidem non intelligo. Contra vv. 15. 16. 17 loco tradito egregiam efferunt orationem. Neque seiungendos esse vv. 25. 6. 7 a vv. 21. 22. 23 iam supra explicavimus. Haec si vere a me disputata sunt, Ribbeckius quae de idylli tertii compositione statuit, ad nihilum recident.

---

[1]) Mus. Rhen. a. 1862, pag. 553 sqq.
[2]) Mus. Rhen. a. 1863, pag. 314 sqq.

Iam disputatio nostra de idyllio tertio ad finem perducta est; et si quid recte attulerimus, ut dulcissima carminis simplicitas servetur, satis habebo.

Praeter strophicam compositionem etiam stichicam Theocrito in usu fuisse pag. 6 demonstrasse mihi videor. Nimium vero augerentur huius dissertationis fines, si de omnibus, quae huc pertinent, idylliis agere vellem. Itaque tria elegi: XI. XV. XVIII, in quibus quantum contra librorum auctoritatem ipsumque poetam peccatum sit egregie videtur posse ostendi. Qua in quaestione instituenda ita quidem versabor, ut acriter interpretando poetae mentem et consilium indagemus et sententiarum progressio qualis sit ab ipso profecta illustremus. Sic enim arbitramur refutatum iri inutiles eorum conatus, qui omnia sibi permiserunt, dummodo stropharum aliquam rationem efficerent.

Ac primo quidem loco agemus de

id. XI.

In primis duodeviginti versibus, qui praecedunt ipsum Polyphemi cantum, Gebauerus l. l. pag. 82 hos in „strophis" numeros proponit:

4. 2. 3. 2. 5. 2.

Libenter quidem per has versuum complexiones orationem progredi concedimus, neque attente legentem ea perspicuitas compositionis latere potest. Sed in his numeris, quorum vicissitudinem merus tulit casus, mentem ac consilium poetae agnoscere atque praedicare perversissimum mihi quidem videtur. Namque ars omnis aequalitatis quibusdam legibus quasi nativo fundamento suo nititur, quam in undecimi idyllii prooemio frustra quaesitabis.

Venimus nunc ad ipsam Polyphemi cantilenam. Cui quicunque operam studiumque navaverunt, in eo omnes falluntur, quod praevia opinione decepti non admodum recte singulas distinxerunt partes; quamquam per se mea quidem sententia parum refert, in quas quotve partes tale carmen quale est hoc dividamus. G. Hermannus quidem paulo fortius incidi orationem voluit post vv. 29. 43. 59. 71, Borsdorfius[1]) post vv. 29. 41. 53. 62. 71; quae quidem partitiones quam ob rem mihi improbentur, ex posterioribus apparebit. Ac ne Gebaueri cantus dispositionem amplector, qui singulas partes post vv.

[1]) Comment. in Theocr. carm. XI, Jauraviae 1874.

24. 29. 41. 66. 71. 79 finiendas esse statuit. Nam in eo, quod primos sex versus ab insequentibus segregavit, ut proodi loco in fronte carminis collocati extremis octo versibus (72—79), quos epodi nomine notavit, responderent, satis mire rem videtur gessisse. Nam praeterquam quod ego hanc ipsam rationem vehementer improbo (cf. supra pag. 8), nullam similitudinem intercedere invenies inter cantilenae principium et exitum, quam quidem ipse Gebauerus pag. 113 inter proodum et epodum esse oportere ponit.

Sed ut iam propius ad rem aggrediamur propositam, dubium mihi non est, quin recte orationis progressum perspexit G. Hermannus, cum primos sex cantilenae versus in duorum tristichorum formas redigeret; ac quaecunque post eum sunt prolata, mihi quidem vehementer improbantur. Et in prima pericopa (vv. 19. 20. 21) perquam lepide Polyphemus Galateam suam λευκάν vocat, qua super vocula veluti fundamento suo exstruuntur versus

λευκοτέρα πακτᾶς ποτιδεῖν, ἁπαλωτέρα ἀρνός,
μόσχω γαυροτέρα, σφριγανωτέρα ὄμφακος ὠμᾶς.

Itaque egregie erraverunt Ahrensius atque Peiperus, manifestum qui hunc sententiarum connexum corruperunt, ille cum v. 20 ut adulterinum proscriberet, hic cum eundem versum de loco tradito resectum post v. 66 collocavit.

Etiam sequentes vv. 22. 3. 4 in se ipsis rotundam praebent sententiam, id quod poeta forma quoque indicavit. Nam versus nonne eadem fere ratione conformati sunt? Adversor igitur Ahrensio et Peipero, qui vv. 19. 21. 22. 23. 24 in unam coegerunt quinionem, perinde ac Borsdorfium reprehendo sex versuum (19—24) stropham in principio statuentem. Verum tamen cur cum Godofr. Hermanno et Meinekio versum 24 ante v. 22 translocemus, nullam video probabilem causam. Nam prorsus sine ulla offensione sic procedit oratio: somniantem me visis, experrectum fugis. Maiorem autem vim habet haec altera sententia. Quare duobus versibus effertur, cum illi priori unus tantum modo versus tribuatur.

Unde transitus fit ad sequentia per oppositionis formam in hunc modum: et tamen, quamquam me fugis, amore tuo depereo. Quae per duas versuum complexiones, alteram vv. 25. 6. 7 alteram vv. 28. 29 continentem, ita quidem progrediuntur, ut in priore de origine amoris narret Polyphemus, in posteriore unquam de amore destiturum sese neget. Videntur hanc dispositionem ver-

suum ante omnia indicare verba, quae sunt ἠράσθην et παύσασθαι cum vi quadam in fronte suae utrumque pericopae positum; eodem spectant temporis notationes πρᾶτον et ὕστερον. Haec si vera sunt, non assentieris Ahrensio vv. 19. 21. 22. 23. 24 et vv. 25—29 pro stropha et antistropha accipienti.

Nobis igitur in tradita lectione omnia se rectissime habere visa sunt. Contra Greverus[1]) hunc versuum ordinem restituendum esse censet: 19—21, 25—29, 22—24. Cuius sententiae stabiliendae causa haec ille dicit: „Trefflich schliesst sich dann der 30. vers dem sinne nach so an: aber ich weiss wol, weshalb du mich fliehst. Eben so glücklich schliesst sich dann der 25. vers an 21. an und an die von der nymphe gerühmten eigenschaften.“ Hanc transmutationem tanquam nihili uno verbo reiecit Kayserus[2]). Mihi quoque ille simplicem orationis tenorem prorsus corrupisse videtur. Nam vv. 22. 23. 24 de loco removendi non sunt, quia et aperte ad verba τί τὸν φιλέοντ' ἀποβάλλῃ respiciunt et per oppositionem quandam ab insequentibus excipiuntur. Deinde tollitur concinnitas versuum 25—29, in quibus de amore Polyphemi sermo est.

Iam Cyclops repulsae a puella acceptae causam repetit ex deformitate vultus instar comastae id. III, 8. 9, atque bene se habet, quod unum hoc argumentum una conficitur versuum (30—33) pericopa. Quod naturae vitium tribus virtutibus compensari ille ait: primum quam dives sit pecoris, vv. 34. 5. 6. 7 praedicat; deinde vv. 38. 39. 40, quanto praeter ceteros arte canendi excellat; tertium vv. 40. 41, ἕνδεκα νέβρως et σκύμνως τέσσαρας ἄρκτων Galateae se alere. Hinc intelliges egregie erravisse Gebauerum quaternionem vv. 34. 5. 6. 7 in duo membra dirimentem. Multo autem infelicius rem gessere ii, in his Gebauerus idem, qui vv. 37. 8. 9. 40 in unam coegerunt „stropham“, quamquam in eis, ut modo explanavi, duo inter se diversa edissertantur. Atque hic est imprimis, ubi quam vana sit sententia eorum, qui Theocritum strophica in omnibus idylliis usum esse ratione volunt, clarissimo fulget lumine.

Sic positis in medio virtutibus Polyphemus adhortatur Galateam, ut ad se in antrum veniat v. 42

ἀλλ' ἀφίκευσο ποθ' ἁμέ . . . .

[1]) ed. Oldenb. 1850, pag. 88.
[2]) ephem. doct. Monac. 1850. nr. 56, pag. 451.

cui adhortationi eo vim allaturus est, quod amoenitates antri sui laudibus effert. Haec igitur et quae deinceps sequuntur tam arte cum antecedentibus cohaerent, ut notandi videantur Gebauerus et Borsdorfius, qui ante *ἀλλ' ἀφίκευσο* (v. 42) finem parti imponi putent; et Hermannus quoque peccat, si eorum quidem errore vitato post *ὀρεχθεῖν* (v. 43) orationis decursum interrumpit. Nam versus 44 praecedentibus duobus versibus asciscatur necesse est, non sequentibus, quod simul moneo contra Gebauerum. In hunc enim modum poeta orationem conformavit, ut diceret: Veni ad me, desere undas, nam

ἅδιον ἐν τὤντρῳ παρ' ἐμὶν τὰν νύκτα διαξεῖς

Itaque colon potius quam punctum post *ὀρεχθεῖν* posuerim.

Deinde quale sit antrum, quattuor exponit poeta versibus 45—8, in quibus insignem Theocriti artem admiraberis, si attendas ad triplicem anaphorae usum *ἐντι* — *ἐστι* — *ἐστι* in fronte singulorum versuum positum.

Sequitur tum versus 49

τίς κα τῶνδε θάλασσαν ἔχειν καὶ κύμαθ' ἕλοιτο;

qui cum lepore sententiarum seriem praegressam claudit; nam *τῶνδε* ad eas respicere amoenitates, quas Cyclops vv. 45—8 de antro suo praedicat, apertissimum est. Tamen versus, quamvis egregie suo loco legatur, ex artiore cum antecedentibus ratione recedit. Et bene hoc; nam si quid sentio, Polyphemus ante v. 49 pausam quamvis pusillam in canendo facere cogitandus est. Vitupero igitur quam maxime, quod Gebauerus ex vv. 44—49 unam fecit „stropham“, atque eam, quae me iudice strophae nomen nullo pacto mereatur. Nam versibus 45—48 in se ipsis concinnis rotundisque et in fronte et in fine singuli versus, qui prorsus ab illis alieni sunt, pessime assuuntur.

Ahrensius quidem, cui Peiperus assentitur, ita in his versatur, ut versum 49 tribus vv. 42. 43. 44 addat. Sed illud *τῶνδε*, quod loco tradito recte stare vidimus, quidnam quaeso in vv. 42—4 habet quo referatur. Plane nihil, ut quivis intelligit. Itaque Ahrensii transpositionem improbare non dubitabimus.

Sed tandem pergamus. Novum officiosae voluntatis specimen Cyclops dat vv. 50—53, quos in duo membra dispescere, quod Gebauerus vult, propter ipsam unicam sententiam quae inest falsissimum videtur esse. In continuis versibus 54—62, in quibus maris aditum sibi esse clausum Polyphemus queritur, habetur primo loco tetra-

stichon, quod a versibus distichis excipitur, cum desinat oratio in ternione. Hi vero in complexionibus versuum numeri, quoniam omni stropharum rationi adversantur, vehementissime criticos vexaverunt, ac permulta in his tentata sunt quae recte stare non possint. Ahrensius, ut in ea quam iniit ratione sibi constaret, exstirpato versu 59, quem Peiperus quoque mirum in modum „einen höchst entbehrlichen vers" nominat, ex vv. 58. 60. 61. 62 unam confecit legem. Sed viri docti ratio, si usquam dubitationibus obnoxia est, hoc certe loco quam non sit probanda luce est clarius. Nam quid est, cur versum 59 deleamus. Cyclops se *κρίνα λευκά* aut *μάκωνα* puellae laturum esse affirmat, si tamquam piscis in maris undas immergere didicisset. Sed, addit idem perlepide pro naturae suae simplicitate, papaveris flores aestate, lilia hieme nascuntur, quare haec simul tibi dare nequeo. Quid tandem est, quod in hac orationis conformatione offendat aut supervacaneum esse videatur? Ego ne verbum quidem, nedum totum versum 59 abundare autumo. Accedit, quod expulso v. 59 per se solus positus versus 58 valde friget, quin etiam intellectu caret; et si quis omnino versum 59 ut spurium damnaverit, is etiam versum 58 proscribere debet. Haec satis sint de v. 59 non eiciendo, sed firmiter retinendo. Nunc alterum illud examinemus, utrum iure Ahrensius vv. 58. 60. 61. 62 unius strophae vinculis astrinxerit an non. Hoc quoque quam vehementissime improbandum est. Nam apertissime v. 58 cum antecedentibus connectendus est, non cum vv. 60. 61. 62 in unam „stropham" redigendus. Ex his quae protuli satis opinor elucebit, quanto opere Ahrensius in his adornandis peccaverit.

Verum tamen ab armis discedere nondum ei licet, qui huius loci integritatem defendendam suscepit. Novam enim controversiam movit Gebauerus, cum versum 61 ut malae grammaticorum sedulitati debitum ex ordine verborum eiceret. Sed in eo tota est loci venustas posita, quod immanis ille Cyclops, modo de sorte sua iniqua conquestus (vv. 54. 5), nunc, ubi v. 60 nandi artem discere vult, addit verba (v. 61)

εἴ τίς κα σὺν ναὶ πλέων ξένος ὧδ' ἀφίκηται.

Hunc igitur qui in suspicionem vocat versum, is poetae vehementer nocet. Quod tamen Gebauerus putat fluxisse interpolationem ex Hom. Od. I, 126 sqq., quo loco navium usus Cyclopibus ignotus fuisse narratur, satis mire vide-

tur ratiocinatus esse vir doctus. Nam ipso illo loco Homerico sic uti debuit, ut versum 61 tueretur[1]).

Iam ad vv. 63. 4. 5. 6. progrediamur, in quibus denuo puella ut morigeretur amatori admonetur; quam sententiam paulo magnificentius duplici modo elatam videmus. Nihilo tamen secius Gebauerus notandus est, quod quattuor illos versus in duo disticha distraxit; nam una eademque sententia duabus strophis distribui nolit. Quamvis autem concinnum tetrastichon illud se offerat, tamen fuit, qui loci integritatem foede turbare non vereretur. Peiperus enim, ut schema suum

5.5. 4.4. 4.4. 4.4. 4.4. 5.5. 4.4.

Polyphemi cantilenae etiam reluctanti ingereret, praeter eiectum v. 20, transpositum v. 49, deletum v. 59 — haec tria Ahrensium secutus — unum versum post v. 66 excidisse suspicatus est. Quam in lacunam paene incredibili modo versum 20 inculcavit

λευκοτέρα πακτᾶς ποτιδεῖν, ἁπαλωτέρα ἀρνός.

Hic enim apte comparari Galateam cum *πακτᾷ* post vv. 65. 66 praegressos

ποιμαίνειν δ' ἐθέλοις σὺν ἐμὶν ἅμα καὶ γάλ' ἀμέλγειν
καὶ τυρὸν πᾶξαι τάμισον δριμεῖαν ἐνεῖσα.

Sed quid in causa fuerit, cur vir doctus versum 20 hic collocaret, non difficile est ad intelligendum: certe quia v.66 *πᾶξαι*, v. 20 *πακτᾷ* exstat. Infelicissimum est hoc Peiperi commentum! Quis autem non sentiat, quam misere claudicet hoc loco v. 20, quam foede oratio hiulcet.

Carminis argumentum cum paullatim ascendat ad blandas quas habes in vv. 63. 64. 65. 66 adhortationes, descendit hinc per duos, ut ita dicam, gradus (vv. 67—71, 72—79) eo, ut Polyphemus se ipse ad sanam mentem revocet. Duas igitur in partes censeo Polyphemi cantum esse disponendam, id quod optime concinit cum poetae consilio, qui Cyclopis de amore ipsiusque amoris remedio est cantaturus.

Iam intelligit Polyphemus inde a v. 67 sibi non esse gesturam morem Galateam omnemque boni eventus spem abicit. Verum tamen se ipse ut consoletur, matrem increpat, quae male de se sit merita. Quam sententiam quinque versibus circumclusam vides ita quidem, ut priores tres ab insequentibus duobus segregari possint. Eidem numeri etiam vv. 25—29 occurrerunt, ubi ipsius matris mentio fit. Argutias vero ne captent vereor ii, qui in

[1]) Similem in errorem incidit Meinekius ad XI, 29.

hoc numerorum concentu poëtae consilium callide indagasse sibi sunt visi[1]). Nam amborum locorum argumenta non ita inter se concinunt vel sibi respondent, unde aequalis et versuum et stropharum ratio effluere debuerit, sed priore loco (25—29), ubi verba *ἐμᾷ σὺν ματρί* fere nullius sunt momenti et ponderis, primas partes Galatea agit, altero posteriore mater Polyphemi.

In iis quae usque ad finem sequuntur tandem amore devicto animi tranquillitatem Polyphemus recuperat. Sunt autem octo versus, in quibus G. Hermannus has strophas inesse statuit: 3. 2. 3. Ex quibus distichon (vv. 75. 76) miror cur Gebauerus ita distraxerit, ut uterque versus per se solus accipiendus sit; nam unus versus nullo pacto pro stropha esse potest. Sed etiam Hermanni rationem satisfacere desiderio praefracte nego. Etenim versus 72 cum vv. 73. 74 copulare non licet; nam ille quasi fons est, e quo sequentia emanant. Ac quid intercedat inter v. 72 et vv. 73. 4 discriminis, bene explicat H. Stephanus[2]), cum dicat: „ibi (v. 72) non omnino Polyphemum se fateri stultum, hic (vv. 73. 4) multo magis se sapere fortasse, si hoc faciat.“ Deinde ultimus cantilenae versus cum perlepida quadam stultitia additus non ita facile antecedentibus duobus versibus in unam redigitur pericopam. Nihilo tamen secius in extremis, quamquam stropharum dispositionem non agnosco, tenuitatem et simplicitatem orationis admiror.

In exitu idyllii controversiam movit Fritzschius. Putat enim post *ἢ εἰ* versus 81 clausulam et initium extremi versus excidisse in hanc formam

οὕτω τοι Πολύφαμος ἐποίμαινεν τὸν ἔρωτα
μουσίσδων, ῥᾷον δὲ διᾶγ' ἢ εἰ πὸτ τὸν ἔρωτα
φάρμακα πάντα λαβὼν ἰατροῖς χρυσόν ἔδωκεν.

Sed miror, quod in talia vir doctus incidere potuit, quamquam contra loci sententiam esse peccatum nolim contendere. In orationis conformatione primum quidem offendit duplex illud *ἔρωτα,* quod a Graecae linguae legibus prorsus recedere videtur. Tum *πάντα* ad *φάρμακα* appositum vehementer mihi displicet. Contra nihil desideratur in tradita scriptura, modo recte interpreteris. Verborum enim

. . . *ῥᾷον δὲ διᾶγ' ἢ εἰ χρυσὸν ἔδωκεν*

sensus est hic: *ῥᾷον διῆγε* Polyphemus (postquam canendo amoris dolores lenivit) quam si auro remedium emisset.

1) Gebauerus et Ribeckius.
2) Virg. et Nas. imit. 1579. pag. 49.

Quare dubitaverim, num futuri sint qui Fritzschio assentiantur.

Sed ut rursus ad Cyclopis cantilenam redeamus, ea quam instituimus disputatione refutasse nobis videmur eos, qui stropharum aliquam rationem per illam regnare studebant efficere. Nam in iis quae ex accurata orationis interpretatione proficiscuntur versuum complexionibus nulla artis lex perspicitur. Quare pro certo ponimus compositionem carminis non esse strophicam.

Eodem modo compositum esse puta cantum qui

id. XV

a v. 100 usque ad v. 144 insertus est, quamquam multi et docti homines operam dederunt, ut strophicas rationes restituerent.

Exorditur cantilena a magnifica Veneris appellatione ita quidem, ut prima sententia sex versibus 100–105 conficiatur, quorum in complexione tria membra facili negotio distinguuntur. Deinde iterum deam allocuta exponit poetria totidem versibus (106—111), quam ob rem Arsinoe Adonia instituerit; in his quoque subtiliorem conformationem quandam perspicies. Neque igitur vituperandi sunt G. Hermannus aut Ahrensius, qui in fronte descriptionum carminis duas collocaverunt pericopas sex utramque versuum. Contra de via aberravit Gebauerus, cum vv. 100—105 proodi loco a ceteris separatos exhiberet. Nam vv. 100—105 et 106—111 eiusdem esse ponderis iuxtaque poni vel ex compellationum similitudine (v. 100 et 106) discere ille potuit. Neque minus displicet, quod vir doctus hos in vv. 100—111 stropharum numeros proponit 2. 2. 2. 3. 3. Etenim Theocritus si minutas has versuum complexiones pro strophis intelligendas esse voluisset, eadem certe ratione vv. 100—105 et 105—111 composuisset.

A v. 112 apparatus descriptio incipit; quare falsus est Gebauerus, si versus 112. 113. 114, cum 106—111 colligat, a subsequentibus secludit. Theocritus autem ita rem instituit, ut singulis versuum complexionibus singulas apparatus partes absolveret. Atque qui statim se offerunt versus 112. 3. 4, eorum ad integritatem G. Hermannus unum versum deesse statuit, quia in carmine has strophas inesse putavit

6. 6. 4. 4. 6. 6.

Defectum autem esse ortum ex pari duorum versuum initio

πὰρ μέν . . . .
πὰρ δὲ οἱ ὥρια κεῖται ὅσα δρυὸς ἄκρα φέροντι.

Contra ego memoriam librorum esse sanam firmiter obtineo. Hic sunt, canit poetria, maturi arborum fructus, hic teneri in argenteis canistris hortuli, et alabastra myro Syrio abundantia. An tu quidquam in his desideras? Praeterea vitium metricum in dactylo *πὰρ μέν οἱ* delitescere non agnosco, quamquam aliis locis quasi litera Aeolica praeditus *οἷ* dativus apud Theocritum usurpatur. Neque Meinekii coniecturam *πὰρ μὲν ὀπώρα* probaverim; nam in *ὥρια* verbo nihil esse mutandum mihi est certissimum. Retineo igitur tres hos versus, quales in libris traduntur.

Sequuntur tum quattuor versus 115—118 in se confecti, in quibus de cibis Adonidi appositis sermo est. Itaque miror quod Ahrensius et qui eum sequuntur Eberzius Peiperus vv 112—118 in unius heptastichi fines congerunt. Nam diversa sunt, ut ostendi, quae vv. 112—114, diversa quae vv. 115—118 narrantur.

In continuis oratio plane mihi procedere videtur per duas pericopas, quarum altera vv. 119—122, altera vv. 123. 4 continet. Et reliquerunt haec intacta viri docti praeter Hermannum et Peiperum. Ille ad vv. 119—122 affigit vv. 123. 4, ut sex habeat versus, quibus alteri sex 125—130 respondeant. Adversor ego quam maxime, quia et dictionis et argumenti diversitas talem rationem vetat. Prorsus vero infeliciter rem gessit Peiperus. Qui ut inde a v. 112 duas strophas haberet septem utramque versuum, seiunxit adeo v. 125 *πορφύρεοι δὲ τάπητες κτλ* a subsequentibus, coniunxit cum vv. 119—124. Paene incredibile hoc; nam v. 125 necessario cum vv. 126. 7 copulandum esse id opinor luce est clarius. Etenim *πορφύρεοι τάπητες* (v. 125) procul dubio ad *κλίνα*(v. 127) spectant, nihil habent commune cum Jovis aquilis ex candido ebore factis.

Iam in vv. 125. 6. 7 ipsos paulo acrius inquiramus. Qui teste Ambrosiano K sic sonant

πορφύρεοι δὲ τάπητες ἄνω μαλακώτεροι ὕπνω
ἁ Μίλατος ἐρεῖ χὠ τὰν Σαμίαν κάτα βόσκων
ἔστρωται κλίνα τῷ Ἀδώνιδι τῷ καλῷ ἄλλα.

In his summo opere desudaverunt viri docti variasque protulere coniecturas, quibus oratio expediretur, quas tamen ad unam omnes esse falsas mihi quidem persuasissimum est. Neque enim quidquam restabit offensionis, dum modo recte versus interpretemur. Coniungenda

quidem sunt verba *πορφύρεοι δὲ τάπητες ἄνω μαλακώτεροι ὕπνω . . . . ἔστρωται κλίνα*, i. e. purpurea stragula somno dulciora strata sunt pro lecto; *ἔστρωται* autem, id quod saepius fit, ad similitudinem propioris substantivi *κλίνα* conformatum est. Quibuscum, virgula interposita, verba *τῷ Ἀδώνιδι τῷ καλῷ ἄλλα* continuantur. Inseritur autem per parenthesin versus

ἁ Μίλατος ἐρεῖ χὠ τὰν Σαμίαν κάτα βόσκων

hunc praebens sensum: Miletus et pastor Samius id affirmabunt, scl. stragula esse somno dulciora. Sic omnia recte procedere contendo. Unum tamen quod fortasse desideres deesse v. 127 dativum *Κύπριδι* — unus lectus Veneri, alter Adonidi paratus est — perfacile recte explicando removetur. Nolo provocare ad parenthesin, quam quidem adhibens poeta paululum de via deflexerit; sed quod summi momenti est, qui subiungitur versus 128

τὰν μὲν Κύπρις ἔχει, τὰν δ' ὁ ῥοδόπαχυς Ἄδωνις,

quo modo accipienda sint praegredientia dubitationes relinquit nullas. Alterum praeterea ex eiusdem versus 128 verbis *τὰν μὲν — τὰν δέ* discimus: nullo pacto tentandam esse voculam *ἄλλα* (v. 127), cuius in locum Ahrensius Zieglerus Fritzschius mirum in modum *ἁμά* suffecerunt. Nam de duobus lectis certissime cogitat poeta, non de uno, quod Ahrensius eumque qui sequuntur volunt, cum prorsus inepte *τὰν μὲν — τὰν δέ* sic interpretentur: unam lecti partem — alteram partem. Hanc quidem explicationem per sermonis Graeci regulas non licere probe sensit Ahrensius; nam mutavit sic versus principium, ut scriberet *τὰν μὰν Κύπρις ἔχει,* quod viri docti commentum respuo. Quodsi vera est mea loci interpretatio, id consequens est, ut vv. 125. 6. 7 artissimis inter se constringi vinculis ponamus. Insigni igitur errore tenetur Gebauerus, qui intra ipsos versus (post v. 126) pericopam aliquam vult determinari. Scriptura autem loci quam ille proponit

πορφύρεοι δὲ τάπητες ἄνω „μαλακώτεροι ὕπνω“
ἁ Μίλατος ἐρεῖ χὠ τὰν Σαμίαν κάτα βόσκων.
ἔστρωται δ' ὕπο κλίνα Ἀδώνιδι τῷ καλῷ ἁγνά.
τὰν χὰ Κύπρις ἔχει, τὰν χὠ ῥοδόπαχυς Ἄδωνις.,

non digna videtur, quam pluribus refellamus; neque enim ea artis criticae legibus sed libidini obnoxia est.

Transit tristichon 125. 6. 7 in alterum illud quod constat ex vv. 128. 129. 130. Ahrensius tamen ut antistropham suam septenariam *β'* efficeret, vv. 123—130 in

unam legem contraxit. Quoniam autem unus versus redundare videbatur, delevit cum P. Fonteino versum 129

ὀκτωκαιδεκέτης ἢ ἐννεακαίδεχ' ὁ γαμβρός,

quem Peiperus quoque, etsi eo carere non potest, mirum in modum esse miserum versum dicit. Contra ego lepidissimum eum esse atque ad quadrandam orationem maxime necessarium censeo. Neque enim in formatione eius est, quod offendamus, si contenderimus similem versum id. XXVI, 29

εἴη δ' ἐνναέτης ἢ καὶ δεκάτῳ ἐπιβαίνοι,

quem ipsum quoque a quibusdam assignari videmus interpolatoribus. Neque Hartungii coniecturam haud inscite excogitatam recipiemus, qui scribit

ὀκτωκαίδεκ' ἐτῶν ἢ ἐννεακαίδεχ' ὁ γαμβρός.

Verum enim vero, sicuti per se belle Adonis dicitur prima iuventutis flore excellere, sic ille versus tanquam fundamentum est, quo insequens versus 130

οὐ κεντεῖ τὸ φίλαμ', ἔτι οἱ περὶ χείλεα πυρρά

nitatur. Nam Adonis quia nondum duodevicesimum vel undevicesimum annum (129) supergressus est, eam ob causam osculum non pungit, eandem ob causam lanugo ei adhuc circum labia est mollis Dele igitur versum 129: iam deerit quem in sensum versum 130 explices.

Absoluta iam est magnifici apparatus descriptio. Nam qui sequuntur quinque versus 131—135 quasi prolusionis loco id quod postero die cantaturae sunt mulieres carmen indicant. Dissentio autem vehementer cum Gebauero et Ribbeckio, qui hos in illis „stropharum" numeros regnare volunt 1. 2. 2. Nam quinque versus tam arte inter se cohaerent, ut non nisi summo cum poetae detrimento partitio illa fieri possit.

Cur deniqne neque Ahrensio, qui vv. 123—135 in has leges 7. 5 — eiecto v. 129, de quo vide supra — neque Peipero, qui vv. 126—135 in 5. 5. dispescuit, assentiar, ex ante disputatis satis opinor intelligetur.

Venimus nunc ad ultimos versus 136—144. In quibus unus Peiperus „strophas" invenit has 4. 4. 1. ($_4$) 1. cum extremo poetriae versui

καὶ νῦν ἦνθες Ἄδωνι, καὶ ὅκκ' ἀφίκῃ, φίλος ἡξεῖς

versum 149, qui est Gorgonis

χαῖρε Ἄδων ἀγαπητέ· καὶ ἐς χαίροντας ἀφίκευ

respondere dicat. Haec autem satis mira videntur. Nam qui quaeso fieri potest, ut in continua exemplorum enumeratione (post v. 139) strophae alicui imponatur finis, qui porro, ut ad ipsa exempla prolata versus 143 assu-

atur. Quod autem Peiperus putat poetriae versum posse respondere Gorgonis versui, nemini probabitur.

Ceteri omnes nullam tentavere divisionem, concesserunt igitur stichicam esse cantiunculae compositionem; quae quidem ratio latius patet atque ad totum poetriae carmen pertinet, ut satis ostendisse mihi videor.

Disputabimus ultimo loco de eo quod in

id. XVIII

nuptias Menelai et Helenae concelebrandi causa a virginibus Spartanis cantatur carmine epithalamio. Id stropharum ad formas redigere conati sunt G. Hermannus, Ahrensius, Gebauerus, Koechlyus[1]). Contra Koechlyum disputavit Fr. Buechelerus[2]). Tum Peiperus hanc quaestionem retractavit.

Incipit carmen a festiva Menelai cavillatione, quae vv. 9—15 continetur. Quorum primi tres (9. 10. 11) propter ipsam structurae formam — attendas velim ad quadruplicem interrogationis atque triplicem anaphorae usum — cognationem quandam primo obtutu produnt; quare falsus est Gebauerus versus per se quemque accipiens. Reliqui quoque quattuor versus (12—15) in se confecti et absoluti sunt. Tamen Ahrensius eique qui assentitur Eberzius haec omnia unius strophae vinculis astrinxerunt, quod nullo modo ferri potest. Perpaucis praeterea Peiperi opinionem explodemus. Delet enim is versus 10. 11, „die auch der bestgelaunte schwerlich aus dem munde dieser mädchen gern vernehmen wird.“ Sed haec causa levior est quam quae nos eo adducat, ut egregios illos versus proscribamus.

Qui sequuntur vv. 16. 17. 18 corrupti sunt. Quamvis autem multae sint prolatae coniecturae, mirum quantum omnibus praestat Meinekii scriptura, quae quidem, ut ego censeo, pro vera et genuina habenda est:

ὄλβιε γαμβρέ, θεός τις ἐπέπταρεν ἐρχομένῳ τοι
ἐς Σπάρταν, ἅπερ ὦλλοι ἀριστέες οὐκ ἀνύσαντο·
μοῦνος ἐν ἡμιθέοις Κρονίδαν Δία πενθερὸν ἑξεῖς.

Ad haec optime adaptantur contiuui tres versus, in quibus quaenam sit beata illa Menelai sors explicatur. Adversor igitur quam vehementissime Gebauero vv. 16—22 in distichon et tetrastichon dirimenti.

Paulo copiosius de Koechlyi rationibus disserendum

---

[1]) Academ. Vortr. u. Reden, Zürich 1859, pag. 406 sqq.
[2]) Jahnii annall. a. 1860, LXXXI, pag. 368 sqq.

erit. Strophae α′ (9. 10. 11) ut succederet antistropha, deinde ut usque ad v. 17, duo evaderent tristicha respondentia inter se, in hunc modum adornavit librorum memoriam vir doctus:

ἀστρ α′: εὕδειν μὰν σπεύδοντα καθ' ὥραν αὐτὸν ἐχρῆν τυ
παῖδα δ'ἐᾶν σὺν παισὶ φιλοστόργῳ παρὰ ματρί
παίσδειν ἐς βαθὺν ὄρθρον, [ἐπεὶ πέλες ὧδε χαλίφρων]
στρ β′: ὄλβιε γάμβρ', ἀγαθός τις ἐπέπτια σπερχομένοσῳ τοι
[ἐς νύμφαν οἰωνός], ἐπεὶ καὶ ἔνας καὶ ἐς ἀῶ
κὴς ἔτος ἐξ ἔτεος, Μενέλα, τεὰ ἁ νυὸς ἅδε.
ἀστρ β′: ὄλβιε γαμβρέ, θεός τις ἐπέπταρεν ἐρχομένῳ τοι
ἐς Σπάρταν, ὅποι ὦλλοι ἀριστέες, ὡς ἀνύσαιο,
[ἔργα γάμου], τάπερ ὦλλοι ἀριστέες οὐκ ἀνύσαντο.

Iam vide, qualia Koechlyus ex traditis effecerit! quali usus ratione! quae adeo non est ratio, ut potius libidinis nomine sit notanda. Talia si nobis concesserimus, nihil certe intercedet, quominus omnia periclitemur. Ego equidem, quantum potero, in tradita scriptura manebo atque perseverabo.

Deinde a. v. 22. transit oratio ad laudandam Helenam. Itaque in errore est Ahrensius, si versus 19—25 unius strophae vinculis astringit. Hoc ne faceret, vel ipsa inter Helenam et aequales oppositio impedire debuit, quae in una stropha tolerari prorsus nequit.

A vv. 22—25 quattuor quae sequuntur comparationes pendent tribus unaquaeque elata versibus. Neque vero sani sunt qui primo loco offeruntur versus. Quam ob rem paene omnes qui Theocriti carmininibus operam dederunt, medelam afferre certatim studuere. Nequeo sane omnes, quarum ullam desiderio satisfacere praefracte nego, perpendere coniecturas. Id tantum modo addam gravissimo teneri errore eos, qui versum hic excidisse autumant; pugnat enim hoc cum concinnitate et aequabilitate earum quae instituuntur comparationum. Omnis autem loci salus est proximis tribus versibus 29. 30. 31 repetenda est. Bene iam mutavit Ahrensius vulgatam *διέφαινε* et *διέφανε* ad similitudinem verbi quod est v. 29 *ἀνέδραμε*. Ac tria quidem vv. 29. 30 enumerantur, quibuscum Helena comparetur: *μέγα λᾷον κυπάρισσος, Θεσσαλὸς ἵππος;* recte igitur se habere putandi sunt vv. 26. 27 *ἀώς ἀντέλλοισα, πότνια νύξ, λευκὸν ἔαρ.* Itaque vituperandi sunt ii, qui unum alterumve trium verborum tentaverunt, imprimis autem ii, qui ex *ἀώς* effecere *ὡς* voculam. Nullam enim comparationis particulam

hic requiri egregie docent sequentia; conferas velim praeterea similem locum XIV, 39 sqq. Vitium vero haud dubie in ἄτε insidet, quod nullum admittit intellectum. Cuius in locum si ἤ suffeceris, omnia optime progredientur. Nam dicitur καλὸν διαφανεῖν πρόςωπον non solum ἀὼς ἀντέλλοισα, sed etiam πότνια νύξ, si de caelo stellis fulgentibus apto cogitaveris. Idem non ineptit ad λευκὸν ἔαρ mente additum. Praeclare praeterea ad unumquodqe illorum ἀώς, νύξ, ἔαρ quadrant verba χειμῶνος ἀνέντος. Videtur denique coniectura mea etiam eo commendari, quod, sicuti in sequentibus, per ἤ particulam oratio disiungitur.

Ahrensius in comparationibus adornandis ita quidem versatus est, ut binas sese excipientes in unam stropham cogeret. Sed valde vereor ne ea ratione poetae consilium obscuretur. Nam comparationum unaquaeque tam rotunda, tam concinna in se ipsa est, ut contra rationem faciat, si quis binas strophicae distributionis gratia coniungat.

Nova sententiarum series inchoatur a. v. 38. Ac quinque versus 38—42 G. Hermannus, Eberzius, Gebauerus pro una accepere stropha, quamquam quodam modo dissuadet oppositio illa quae fit in ὦ καλά ὦ χαρίεσσα κόρα et ἄμμες. Aliter Ahrensius et Koechlyus rem instituerunt. Consentiunt enim in eo, quod post ἦρι καί (v. 39 medio) excidisse putant versum, dissentiunt tamen in illo supplendo. Improbo rationem, quam illi non ex sententiae necessitate sed praeviae opinionis gratia inierunt. Multo etiam perversius egit Peiperus, qui optimum et ad sententiam maxime necessarium versum 38 delevit.

Qui deinceps leguntur vv. 43—48 fere omnes in unius strophae formam redegerunt, quod quidem cum re non ita discrepat. Verum tamen mirum in modum Gebauerus in tria disticha distraxit versus, qui quam arte inter se cohaereant nemo est quin intelligat.

Pro ultima parte carminis habendi sunt decem versus 49—58. Qui magno omnium consensu in duo pentasticha dividuntur. Tamen recte hoc fieri nego. Etenim iniuria versus 49 artius cum insequentibus connectitur atque versus

Ὑμὴν ὦ Ὑμέναιε, γάμῳ ἐπὶ τῷδε χαρείης

non ultimae „strophae" imponit finem, sed totum carmen nuptiale fortissime claudit et determinat.

Ita igitur in hanc quoque quae in id. XVIII exstat cantilenam falso strophicas rationes inferri ostendisse mihi videor. Hanc autem quaestionem per cetera quoque

idyllia Theocriti persequi nimis angustis huius libelli finibus prohibeor. Quodsi qui harum rerum sunt periti, in hac dissertatione veritatem me voluisse, interdum invenisse iudicaverint, summum rei fructum percepisse mihi videbor.

Vita.

Reinholdus Albertus Steig natus sum Woldenbergii Kal. Dec. a. h. s. LVII patre Carolo, quem ante hos tredecim annos morte mihi ereptum esse doleo, matre Julia e gente Kuhm-Piepkorn. Fidei addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis ab Arminio Hoppio, nunc pastore Templinensi, instructus gymnasium Landisbergense per sex annos frequentavi, quod tum Kaempfio directore floruit. Maturitatis testimonium auctumno a. h. s. LXXVII adeptus Berolinum me contuli, ut civibus universitatis Fridericae Guilelmae rite adscriberer. Per octies sex menses scholas audivi horum virorum doctorum: Droyseni, Harmsii, Henningii, Huebneri, Kirchhoffii, Muellenhoffii, Schereri, Vahleni, Zelleri. Seminarii philologici regii per ter sex menses sodalis fui ordinarius. Praeterea Vahlenus et Huebnerus ad philologicas, Muellenhoffius ad theodiscas exercitationes aditum mihi benigne permiserunt. His viris omnibus, imprimis Kirchhoffio Vahleno, seminarii directoribus, gratias ago candidissimas.

Sententiae controversae.

1. Theocr. id. II, 61 pro genuino versu in verborum ordinem irrepsit; quare v. 60 minime tentandus est.
2. Arat. Phaen. v. 18 scribe *ἦ Θέμις*. (edd. *ᾗ Θέμις*).
3. Codicum, quibus Apollonii Rhodii Argonautica continentur, unus optimus est Laurentianus, prae quo nulla fides ceteris, ne Guelferbytano quidem, tribuenda est.
4. Ap. Rh. I, 267 lege *οἵ δέ τε σῖγα;* Laur. cum vitio metrico: *οἵ δὲ σῖγα.*
5. Ap. Rh. II, 1179 scribendum: *Ζεὺς αἰεί.*
6. Ap. Rh. III, 1304 retineo *ἀμφί τε.*
7. Ap. Rh. IV, 916 propono *ἦ κέ οἱ.*
7. Scholion ad Ap. Rh. II, 1251 lacunosum esse iudico atque sic fortasse supplendum:
   ἑσπέραν, φησίν, εἶδον οἱ ἀριστεῖς τὸν ἀετόν ἐπί [τῆς ἀκροτάτης νεὼς ὑπερπτάμενον ἐπὶ] τὸν Προμηθέα.
9. Varr. d. r. r. I, 4, 2 noli in suspicionem vocare verbum cultura; deinde quae sequuntur esse sana contendo.

Landisbergae, typis Schneideri filiique.